J. B. BARBAE
CARMINA.

JANI-BENEDICTI BARBÆ
CARMINA
AD
NERIUM CORSINIUM
CARDINALEM AMPLISSIMUM.



ROMÆ, MDCCXLIX.

E' Typographia Bernabò, & Lazzarini.

Superiorum Facultate.

NERIO CORSINIO
CARDINALI AMPLISSIMO
Quirinorum Dictatori Perpetuo.

JANUS BENEDICTUS BARBA
ACADEMICUS QUIRINUS.

Magne Neri primâ nobis dicende camænâ
Idem postrema ; parvum tibi mittere librum
Jam nil mireris me ausum : quem flore juventæ
Edidimus primo, scimus nec multa litura,
Nec sat multa dies limaverat ; at mihi ut ætas
Accessit major reprehendere carmina cœpi
Censor & ipse mea, atque incudi tradere quæ nunc
In breve coguntur, quia lima iterataque pumex
Sæpe supervacuum abrasit, fortasse legenda,
Ni fallor, nec danda piper vendenti & odores.
Dulcis Alexander, tibi me quum fecit amicum,
Quamquam, si novi bene me, nil tale mererer,
Esse putans aliquid tunc nos Tu nostra legebas.

Post ferus ille Phaon placuit tibi, mascula Sappho
Magnaque, noster amor, Romæ duo numina Bruti.
Nunc id quodcunque est operis, pro munere lætus
Accipe, nil impar virtute & moribus aureis
Summe Neri Patruo, Themis, & quem Pallas amica
Omnibus ornatum voluere excellere rebus,
Et triplici regale caput cinxere coronâ.
Qui rem Romanam sublimi mente gubernans,
Attulit huic Urbi monimenta perennia laudis,
Præsidium & Musis, & erat tutela poëtis.
Cujus Tu digne imperio vestigia calcans
Fovisti sacros, renuente Platone, poëtas,
Pieridumque artes tranquillâ in sede locasti.
Dignus ob hoc donare velit cui carmina Flaccus,
Atque suum tibi mittat opus Maro; non ego donem
Exiguos elegos, & cætera carmina: nugas?
Quod si Te indigni calami citharæque videntur,
Ignoscas; cupidum vires majora canendi
Deficiunt: aliâ tibi nec ratione videri
Gratus ego poteram. Si forte Platonis amicis
Ex Urbe ejiciendus ego, videor quia vates:
His ego nunc, infensa quibus parnassia laurus,
Objectem: Musas huc Te revocasse quirinas,
Pierides Phœbumque tibi voluisse placere.
  Quam sapias recte & facias jam collige mecum,
Quamque hi Socratici fallantur, si lubet, audi.
Ut primum terris Sapientia dia refulsit,
Visa errare sacri septena per ostia Nili,
Non aliis prior illa oris cœloque refulsit,
Prima parens morum meliorum fertilis ora
Ægypti rerum genuit divina reperta.
Divinis nata auspiciis vetus illa poesis
Has omnes prior hausit opes numerisque reclusit.
Per vates primum in varias tot didita gentes

Ve-

Venerunt præcepta in Grajos inque Latinos.
Musas iccirco Dis e majoribus ortas
Finxerunt olim, naturam, jura Deorum
Munera qui vitæ præter cecinere poetas?
Phœbus amat sophiæ numeris adjungere lucem.
Hoc primum ritu fertur testudinis auctor
Caussa fuisse feris mortalibus, utpote primis,
Ponere ut ingenium possent & ferrea corda.
Sic sophiam, fama est, maternis artibus Orpheum
Ornasse, & numeris prompsisse sub Iside primum
Naturam, & varios nexus sub Osiride rerum;
Atque Jovis magni rerum sub imagine caussas,
Et rerum interitus varios in Dite profundo.
Hesiodus divûm gentem, terræque colendæ
Artem carminibus longum diffudit in ævum.
Primi igitur vates primas a mentibus umbras
Dispulerunt. Belli trojani scriptor Homerus,
Aonidum evolvendus erit si forsitan hosti,
Dixisse hunc melius Crysippo & Crantore credat.
Quid memorem totam Musarum denique stirpem,
Quam dederunt olim præclaro nomine Athenæ?
Ex his Romani didicerunt optima quæque.
Hinc naturæ pictor Homerus, & Ennius Urbi
Virgilium tandem divina dedere locutum.
Pindaricis sitiens tum fontibus hauserat undas
Insuetas prior ille vias adiisse latinis
Ausus: seu vitæ tradat præcepta, & amicis
Consulat, Augusto, seu mittat carmina Scævæ,
Sive tibi Lolli dicat solers; sapere aude;
Uterer hoc doctore magis, magis hoc sapere ausim.
At plerumque agitat damnosa Erycina poetas
Et tragici plerumque solent celebrare Tyrannos.
Nunquid Phœbus erit quicunque insaniat auctor?
Audebunt & idem numeris fortasse soluti.

Si pictam Venerem, vel si quis forte Lacænam
Aspiceret nudam in tabula, nunquid color esset,
Improbus?an tabula?aut ars?quidnam ergo?nihil horũ:
Sive Helenam propter fuerat quia diruta Troja,
Contemnas castos idcirco iratus amores?
Aut quod Democritus quædam male fuderit, æquo.
Contemnas Iove Pythagoram, doctumque Platona?
Quid potius nocuit Mimnerni carmen; an ille
Pravus Aristippi sermo vel grex Epicuri?
Qui res humanas ullo sine numine Divûm
Crediderat, casuque regi quæcunque videmus.
Parcere sic arti si vates peccat, oportet.
Nostraque uti virgo casta incorrupta poesis
Sit socii vates, ne dente petamur acuto
Cuncta probet NERIUS, nostrique Ædilis acumen.
Tum doctis parere illis nos legibus æquum est,
Quas sanxit clarus Pindi Gravina sacerdos.
Non indignabor vestris si intexere chartis
Græcorum historias, commentaque forte velitis;
Sed sat Mercurius grajis dedit ore rotundo
Posse loqui. Heroes deceat vos dicere vestros:
Gaudeat ut mecum mihi numen Romulus, inter
Sive ille est superos, plutonia sive gubernat
Sceptra, quis illius regnare vetaverit umbram?
Audeat hanc contra nemo latrare poesim,
Auspice te NERIO, nemus hoc colat almus Apollo
Te duce pacatæ ducant hic ocia Musæ

JANI

JANI-BENEDICTI BARBÆ
ELEGIARUM
LIBER PRIMUS.

ELEGIA I.

CAlliope ad fontes, quibus ora Propertius audax
Admorat sitiens, me precor ire sinas.
Fœmineas celebro laudes, date serta puellæ,
Tuque meos audi jam Venus alma modos.
Non semel Heroas æquavit fœmina factis,
Sæpe etiam facinus majus adorta fuit.
Ausa est leucadiam Sappho contemnere rupem,
Atque animam mediis ponere in æquoribus.
Optabant veteres rarâ virtute Lacenæ
Pro patriâ fortes omnia velle pati:
Illa sæpe viris dixere in prælia ituris.
Ecce arma, en scutum, vincite, vel stygios
Armati tranate lacus, non ulla Lacæna
Deflebit forti qui cecidere manu:
Deflebunt dare terga fugæ quos turpia cernent:
Spartanis fœdum est posse timere semel.
Hæc eadem fuerat romanis inclyta fama:
Non gladios illæ non timuere tubas.
Hæc eadem virtus fortes in bella Sabinas
Egit, & audaces ire per arma dedit.
Nonne pudicitiam ferro Lucretia eodem est
Tarquiniique simul fortiter ulta scelus?

Fæ-

Fœmina cum tantum auderet, servire tyrannis
Romani primum tunc renuere viri.
Servirent Volscis Capitoli templa, Quirites,
Fœmina ni vobis una tulisset opem.
Patricium plebs stulta ducem indignata, triumphum
Cui dederat, patriâ jussit abire procul.
In patriam ille suam, quos olim fuderat hostes
Excitat, & Tyberim jam prope castra movet.
Agricola incensos cum conjuge deserit agros,
Addit in Urbe metus addit in Urbe famem.
Matrona effusisque comis ante ora Deorum
In cineres sanctos jam gemit ire lares.
Nulla salus clausis, tenet omnia Marcius, arci
Jam jam casuræ Juppiter ipse timet.
Excidio certum est ingratam evertere gentem:
Non Patria est, cives quæ fugat immeritos.
At Venus imperii miserata pericla ruentis,
Et matronarum fletibus illacrimans:
Ergo Jovis promissa cadent ait, inclyta Roma
Serviet & Volscis jam genus omne meum?
Impie, tune tuæ potes oblivìscier Urbis?
Tune tuos Mavors linquere dure potes?
Fœmina ab obsessis nunc mœnibus arceat hostem,
Fœminaque hoc solvet te mea Roma metu.
Ergo Deæ monitis fortissima Romulidarum
Ipsa hostis mater castra inimica petit.
Mille duci comites nuptæ innuptæque Puellæ,
Et vitam optantes ponere pro patriâ.
Fœmina cum primum ducis in prætoria venit,
Sic prima indomitum adfarier orsa ducem.
Dic mihi, num veni vestros auctura triumphos
Captiva? anne etiam sum tibi mater ego?
Quo me tam longæ servarunt fata senectæ
Ut videam in patriam te arma movere tuam?
Vol-

Volſcorum melius cecidiſſes, Nate, ſub armis
Hoſtili quamvis contumulatus humo:
Quam quæ victorem te vidit, ſentiat hoſtem
Patria, ſitque tuas ferre coacta minas.
Ergo ego ni te enixa forem Capitolia ſtarent,
Libera ego, & mecum libera Roma foret.
At tu ſi armatus ſanctos invadere muros,
Et patrios perges heu violare Deos:
Haud erimus patriæ indecores, romanaque nobis
Pectora ſunt, pulcre ſcimus & ante mori,
Cernere quam patriæ cladem, dare juraque Volſcos
Romanis, Marti non patienda patri.
Hæ voces fregere ducem. Romam unica ſervat
Fœmina, majores inter habenda Deos.
Hinc Veneris juſſu muliebri ſacra Senatus
Fortunæ voluit templa dicata Deæ.

ELEGIA II.

NOn ego Bellonæ, non fratris & horrida bella,
Non hominum cædes miles & arma ſequor,
Nec gerere eſt animus ſcutum galeasque minaces,
Aut audire feram corde micante tubam.
Non mihi mens altam caſtris producere foſſam,
Quemve locum vallo claudere ab hoſte decet.
Non genus hoc pugnæ, non hæc vulgaria tractat:
Arma Venus nulli conſpicienda gerit.
Delia militiæ mea laus, hæc caſtra ſequaris
Hæc tibi, dixit Amor, forma triumphus erit.
Hinc illa ingentes mihi vibrat in oſſa favillas,
Atque animum nobis conficit atque animam.
Quotque ſuis, mirum, jaculetur tela ab ocellis
Quotque in me victrix aſpera bella gerat.

Inij-

Injiciatque, jubente Deo, mihi prima, catenas
Arripiatque animi regna superba mei.
Pro qua nec magnos nunc Herculis ipse labores
Et maris, & terræ longa pericla sequi,
Pro qua sysiphium nec monte revolvere saxum,
Ferre ego nec renuam vincula Pirithoi.
Quid poterunt fasces, quid me juvisse secures?
Quid junctus niveis currus eburnus equis
Ejectum misere e Dominâ? non purpura nobis
Afferretque ullam lydius amnis opem.
Se se præcipitem barathro dat Curtius, Urbi
Posset ut iratos pacificare Deos.
Pace fruebatur si forsitan ille puellæ,
Horrida tunc Romæ fata putanda nihil.
Et mortem oppetere, & barathro me tradere possem,
Si sperem nunquam flectere me Dominam.
At prius experiar quam infernæ fata lacunæ,
Pandite jam vati vos Helicona Deæ.
Tresque meo tantum celebrentur carmine Divi,
Ut placeam Dominæ, Cypria, Phœbus, Amor.
Humanum Venus alma genus, vitamque propagat,
Hinc merito priscis Diva colenda viris.
Et quod tam suaves gignit cyterejus ales
Delicias, alios est Deus ante Deos.
Nonne dies homini qui fert formosus Apollo,
Dulciaque inspirat carmina, numen erit?
His sine Numinibus poterat nec vita manere
Non unquam, & gigni quidquid in orbe fuit.
At sine Marte, sine & Vulcano, & Dite, licebat
Mortali ætatem degere posse suam.
Phœbe, Cupido, Venus, facite ut me palleat illa,
Et teneris tandem sit mihi victa modis
Et me non humili tenerâ gaudente puellâ
Vatum fama velit inservisse choro.

ELE-

ELEGIA III.

Cur hominum damno cœlestia signa pererras
Heu nimium volucri dædala Terra pede?
Hinc cita completo devolvitur orbita gyro,
Hinc cita Luna suum menstua complet iter.
Deprecor, aut maneas, aut saltem sydus amicum
Lenta magis Phœbi circumiisse velis.
Siste libenter equos, si cui sis obvia Tellus,
Tardigradæque bovis deprecor instar eas.
Longius & dulci cum matre Cupidinis esse
Diva velis: illi supplice voce refer:
Quot mihi singultus, quot suscitet una furores
Delia, quot flammis pectus adurat Amor.
Obvia quum fies Tauro, per cærula longe
Qui catus Europæ candida membra tulit:
Illic siste precor, virides tunc te, Dea, vestes
Exornantque tuas florea serta comas.
Ridet apricus ager, placantur in æquore fluctus,
Dulce canunt tenero gutture carmen aves.
Sic tibi nec diram capiti paterere senectam,
Nec cecidisse tuas tu paterere comas,
Nec juvenes sævis vexari flatibus austri,
Neve puellarum findi aquilone genas.
Non nautæ horrerent Neptunum sæpe furentem,
Obrueretque undis Doris avara rates.
Effice, quodcunque est vitæ, sit clausa senectæ
Jam via; sit morbi jam genus omne procul:
Excidat e dominæ ne florens corpore forma,
Neu rosea inficiat pallidus ora color.
Lumina neu videam tabescere Virginis annis,
Pallentemque faces labier in cinerem.

Ab

Ah nunquam immanes Tellus peperisse Gigantes
Ausa fores, ausos bella movere Jovi.
Horrifica hinc Pyrrhæ te sæcla furentibus undis
Obruerunt vasto terque quaterque mari.
Et Protheus jussit montes pecus ire per altos,
Pan & oves timidas in maris egit aquas.
Tunc cursus variare tuos, tunc mœsta coacta es
Naturæ leges vertere ad omne malum.
Tunc celsi montes, tunc solibus abdita vallis,
Horrendæ syrtes, tunc tenuere fretum.
Quod nec adhuc placata Jovi pro crimine mens est,
Hinc te sæpe Jovis fulmina missa petunt.
Concuterisque sinu, tremor ingens occupat artus,
Natorumque gemis subsiluisse domos.
Sævit hyperboreas glacies concreta per oras,
Concretumque negat navibus æquor iter.
Et Sol Ætiopes plus æquo exurere cœpit,
Admoto, & Mauris inficere igne genas.
Quid plura adjiciam? peperisti hinc horrida monstra
Et plura in natos dira venena tuos.
At quomiam brevis ista fugit pernicior euro
Vita, potest Tellus nec cohibere fugam:
Hæc mala tranquillo minuamus Delia amore,
Utque velint Parcas stamina nerefinas.

ELEGIA IV.

UT croceis invecta nitens Aurora quadrigis,
Advenit & roseo conspicienda sinu:
Obvius ut nautis fit dextro sydere Pollux,
Atra procellosis quum furit unda minis:
Ut ver floricomum post nubila tempora brumæ
Occurrit, terræ florea serta ferens:

Sic mihi dum frontem mea lux convertit eburnam,
Aura mihi & circum tota renidet humus.
At dum vultus abest mihi lucidus iste, tenebræ
Subrepunt medio, sole calente, die.
Tessalia omne suum mihi dat sorbere venenum,
Et videor stygias ire per umbra plagas.
Hei mihi sydereis ludit Puer ipse in ocellis,
Excubat in roseis & Venus alma genis.
Phœbe, nec oppositis manet altera Delia in oris.
Non unquam hæc illis forma oritura plagis.
Non te nunc pigeat cursus inhibere, calebis
Non alibi forsan lætus amore magis.
Nunquid amata ferox Daphne tibi caussa furoris
Certare his oculis posset, & hisce genis?
Audi dum loquitur mea Delia, voce lepores,
Vincula quot verbis, deliciæque latent.
Audi dum chordas digitis impellit eburnis,
Nonne hæc est Musas inter habenda novem?
Nonne inter Charites? hæc blandior Heroinis,
Hæc potis est verbis cogere amare Jovem.
Hanc o si numeris valeamus flectere formam,
Et mea si tandem dicier illa velit:
Non ego quidquid opum Neptunus verrit in undis,
Non ego maluerim quidquid ubique vides.

ELEGIA V.

ET *merito quoniam Dominæ distamus ocellis,*
Decidit assiduâ nubilus imber aquâ.
Et Cælum horrificæ discurrunt undique nubes,
Ditis & horrendi janua aperta mihi est.
Rura tenent Dominam: cedant nunc ruribus urbes,
Pyramides Augusti, altaque tecta Jovis.

Me

Me modo felices deportent esseda in agros.
Tuque o nobiscum fac Amor esse velis.
Corripe Dive manu spumantia lora libenter,
Ocyus & ventis fervidus axis eat.
Currite equi celeres, Deus est auriga Cupido,
Currite & ad Dominam me modo ferte meam.
Jamque vorate viam spirantes naribus ignem,
Nolitis cursu cedere Solis equis.
Sed Tu quum Dominæ sis obvius occule tela,
Et vafer immites deprecor abde faces.
Qualis cum fallax indutus imagine Juli
Didoni occurrens totus inermis eras.
Regina ut flammas longumque bibebat amorem,
Sic penetrent Dominæ pectora in ima faces.
Altera sit Dido mihi Delia; Troicus Heros
Non ego qui cupiam subripuisse fugam.
Ah lapis est ferrumque suam quicunque puellam
Deserit, huic semper sis ferus hostis Amor.
Deserat aut Parthus Dominam, Tanaimve prope ortus.
Non ego, cui laurus circumiere comas.
Imperet, & tauros & oves mea Delia, pascam,
Quin & aratoris rustica verba canam.
Imperet, extemplo maturas fortiter uvas,
Tunc ubi tempus erit candide Bacche premam.
Adsis direptis quæso Lenæe cothurnis,
Vitigeno & mecum tinge liquore pedes.
Et nostris cupias epulis accumbere lætus,
Quas natura suis sponte feret manibus.
Pocula mi lactis sat erunt, si vacca quotannis,
Et mihi dent faciles ubera lactis oves.
Non mens est cæsis epulari velle juvencis,
Nec pictas volucres velle necare furor.
Quicunque est ausus gentes absumere bello,
Hic prior in varias protulit arma feras.

San-

Sanguine post gaudens & multâ vivere cæde
Vertit in humanum spicula acuta genus.
Nondum natam Urbem fraternâ cæde Quirinus
Polluerat, stricto figere avem calamo,
Quod solitus telis veloces figere cervos,
Quod solitus jaculis comminus ire sues.
Horride Mars, nostris procul hinc procul aufuge ab a-
Territet armentum ne tuba dira meum. (gris,
Detur odoratis somnos mihi carpere in herbis,
Qua florens umbris arbor opacat humum.
Sint prope me tutæ volucres, & cantibus aures
Luscinia oblectet promere docta melos.
Neve lupi nostros tentent irrumpere in agros.
Sævus in hos tantum spicula sæva geram.
Hostiles acies illi, cladesque sequantur,
Martis ubi insidiis corpora mille jacent,
At parcant ovibus, nec me balatibus ulla
Excitet horrescens nocte silente necem.

ELEGIA VI.

HOc quodcunque vides quod Delia collis, & herba
Hic duce ab Ascanio nobilis Alba fuit. (est,
Nondum Marte satus divinæ Romulus urbis
Condiderat cæso mænia prima Remo,
Cum steterat Veneris regina nepotibus Alba,
Et pecudum potus, Delia, Tibris erat.
Non Latio æternam vidisses surgere Romam,
Vidisses profugos in Jovis arce boves,
Phœbique alma sues habitare palacia, Marti
Ilia si amplexus ausa negare foret.
Forsitan Alba foret, quod nunc est maxima Roma,
Juraque nec pelago, Tybri, daturus eras:

Ah cave projectum ne lædas Albula Regem
In vada, quem nutrit dura papilla lupæ.
Ecce tibi ad ripas, Martis Puer, arma relicta,
Accipe, & bis semper Romule victor eas.
His modo tu Vejos, modo adultus sterne Sabinos,
Et spolia e victis affer opima Jovi,
Crescat ut assiduis, felix te nata, triumphis,
Te Regum domitrix Roma futura patre.
Delia, jam nosces albanæ exordia cladis,
Quantaque vis animi regia prima fuit.
Interitu cadet Alba Numæ, quum gloria Martis
Hostilius, Romæ sceptra superba geret.
Non mihi ab Egeriá tradentur mollia dicet
Ocia, non Janus me duce clausus erit.
Pace diu torpere, pudor, capite arma feroces
Romulidæ, e cælo Romulus arma movet.
Et jubet imperii ferro protendere fines:
Non nisi ferro orbis Roma futura caput.
Dixerat: extemplo patuerunt ostia Jani.
Jamque movet resides Tullus in arma viros.
Ni modo reddideris quantum es prædata per agros,
Jam tibi prædico funeris Alba diem.
Iræ exardescunt, bella accenduntur utrinque:
Ausa fuit prædas Alba negare prior,
Rexque Albæ prior in romanos efferus agros
Irrumpit, Regem mors inimica rapit.
Pro quo Dictator: cognatas perdere gentes
Quid nam opus est inquit, sit data pugna tribus:
Si vester modo victor erit, Roma imperet Albæ,
Imperet Alba, meus si modo victor erit.
Tergemini fratres romanæ robora pubis,
Tergemini albanæ robora pubis erant.
Nil dubitant fortes, pugnæ data tempora, fœdus
Ictum est: illi animos expediuntque manus.

Ipsa

Ipsa Venus mussat pro quo roget æqua Gradivum;
Æneæ populus sanguis uterque fuit.
Nunc illa Ascanii regnare cupiverat urbem,
Nunc tibi nascenti parcere Roma cupit.
Ah si pugnandum est, tandem Cythereia dixit,
Regnet io regnet nomen Jule tuum.
Gratior Alba fuit, nam læserat Ilia Divam,
Quod jactat Marti se placuisse suo.
Roma pavet, pavet Alba, jugumque utrinque perhor-
Ast heu romano sauguine fœda prius (rent.
Tela dedere neci geminos: albana juventus
Vicimus, ipsa Albæ dirigit arma Venus.
Mars pater urbis ades: conclamat Romula pubes,
Servire heu Romam ne patiare tuam,
Si tibi dulce fuit Tyberis prope amæna salicta
Vestali lateri conseruisse latus.
Mars aderit tibi Roma potens, tua sceptra manebunt
Ultra, & memnonias gloria itura domos.
Unicus ecce fugam simulabit callidus Heros,
Ut pugnam fratrum segreget ille trium.
Pleni animis hostes fugientia terga sequuntur,
At vafer hic primum post sua terga necat.
Jam duo sunt reliqui, sed vulnere tardus uterque,
Ad pugnam nequeunt cursibus ire pares.
Ad latus ecce alium, quem perdit Horatius audax,
Et tandem, æquato milite, miles ovans:
Ecce duo cecidere, cadet mihi tertius ille,
Albanæ accipient romula vincla manus
Dixit: & huic guttur properanti tardius uni
Trajicit: ille trium læta trophæa gerens
Excipitur sociis pater urbis, Romulus alter,
Albaque romanis sub juga colla dedit.
Infremuit nemus omne, imoque e gurgite Numen,
Nec fertur lacrymis abstinuisse Venus.

Æquora victor adit Tyberinus, nec sine magnis
Plausibus historiam nunciat Oceano.
O utinam ille sorori ereptos flenti hymenæos
Parceret! huic sceleri Martia Roma tamen
Invideant cives, mirentur horatia pila,
Pro patria fortes, & cecidisse velint.
Albula tu quondam, dein magno nomine Tybris,
Aut his te pudeat jam caruisse Viris:
Heroum vel linque vias, vilisque bibacis
Jam pecoris potus, Albula, rursus eas.

ELEGIA VII.

QVæ coma sit potior, quæris, num nigra puellæ
Conveniat formæ, num coma fulva magis.
Vtcunque est Dominæ laudetur crinis amantis.
Judice me, Divas aureus ille decet.
Jam cui per frontem, per colla nitentia fila:
Illa mihi pectus lucida fila regunt,
Illa animos cæpere meos: placet aurea nobis
Cur coma, jam paucis edidicisse velis.
Nonne magis pulcræ sunt quas Europa puellas,
Quam quos fert vultus indica terra nigros?
Africa jam nostris præstaret adustior oris,
Deterior nigro si color iste foret.
Nonne magis plumbo, ferroque probaveris aurum?
Sic color hic fuscis anteferendus erit.
Aspice quos mater tellus fert sedula flores,
Num violis, nigris num redimita rosis?
Num fert chrysolitos, num nigros illa smaragdos?
Num nigra in toto concha reperta mari est?
Sydera flava tenent cælum, sunt flava Deorum
Tecta, nigras tenebras luridus orcus habet.

Fla-

Flava coma est Phœbo, potior si nigra fuisset,
Cur vellet flavis crinibus esse Deus?
Nonne Venus flavo placuisti crine Gradivo?
Nonne Puer flavis crinibus ipse fuit?
Non Danaes flavæ patuisset abænea turris,
Acrisii vellent nec siluisse canes.
Ni tu venisses multo tunc flavus in auro,
Exclusus poteras Juppiter ire foras.
Crinibus hisce suum succendit Castora Phœbe,
Pollucem auratis, & Telaira comis.
Crinibus hisce fuit Marti placitura sacerdos
Ilia, & hoc almus crine Quirinus erat.
Hæc ni flava foret, forsan nec Romulus ortus,
Notaque vestalis Roma nec ulla foret.

ELEGIA VIII.

VEnit in apricos mecum modo Delia colles,
Hærebatque meis nixa manus manibus.
Visus eram felix ipsam Citheræam, & Amorem,
Et Charites ipsas arripuisse manu.
Ure Venus, dixi, me fortius ure Cupido,
Ure modo & manibus hæreat illa meis.
At nostris oculis furtim se subtrahit: eheu
Nescio quo saltu lapsa puella mea est.
Deprecor, o Dryades, mihi dicite Oreades, illa
Heu quæ subripuit me mihi Delia, ubi est?
Tuque Echo dilecta Jovi, si rupibus hisce
Forte lates, dominæ jam mihi redde sonos.
Quis ferat hos luctus? quis nunc absente puella
Vitam optet? nosset si modo fata mea,
Ingemeret nostris afflicta doloribus arbos,
Ingemeret fato flebilis unda meo.

Linquere me potuit? potuitne illudere amanti?
Ah illa est alicui grata rapina Deo.
Pan Dominam si forte meam Syringa putasti,
Falleris, in calamum versa puella fuit.
Hanc fieri nostram promisit Cypria, & ipse
Jam nostram Veneris filius esse cupit.
Reddite vos Satyri, vobiscum si manet illa,
Non vos capripedes candida forma decet.
Vobiscum Dryades, vobiscum Najades udæ,
Quæque per hæc ludunt æquora Nereides.
Dî prohibete scelus, si perfidus audeat unquam
Forsitan hæc, cælo fulmina missa petant,
Juppiter, & Tellus illi fac ima dehiscat:
Hostia nanque tuos corruet ante focos.

ELEGIA IX.

FErreus ille fuit qui vi sejunxit amantes,
Cum trucibus vivat perfidus ille feris.
Dulcis Amor glandem pepulit vitamque ferinam,
Perdocuitque animi pandere sensa sono.
Hic studia, hic artes, hic primas condidit urbes,
Hic hominum generi pristina jura dedit.
Ipse magister Amor fragili rate findere fluctus,
Et duce Amore ferox fræna momordit equus.
Degere & hic pisces Neptuni jussit in undis,
Aera per liquidum carpere iter volucres.
Auctor Amor cantu voces inflectere: Phœbo
Ille dedit cytharam Mercurioque lyram,
Ille dedit dominam, quá non præstantior ulla,
Ut mihi perpetuo gaudia forte fluant.
Promere, & immites me jussit arundine flammas,
Me puerum teneros perdocuitque modos.

Le-

Læta juventa placet, volucrique arridet Amori,
Hic quibus officiis apta juventa docet.
Ah pudeat pulchras arcere ab amore puellas.
Verba minasque senum non facit assis Amor.
Liberius possint ævum traducere pulcræ.
Libertate Venus fervida sæpe minus.
Quis furor est, juveni si sint fortasse locutæ,
Dicere, quisnam ille est? quid cupit? unde venit?
Ipse Cupido volans cæcis absconditus alis
Qualibet ingreditur, qualibet ipse ferit.
Qua libet arte fores aperit penetrantibus alis,
Et pharetrâ quâ vult huic datur ire viâ.
Per rimas adit ille, per ipsos transit ocellos,
Et transit nostras sæpe per auriculas.
Fortius exurit quanto magis arte fugatur,
Sævit & immiti sævius ille face.
Omne audent facinus flammâ gliscente puellæ,
Fallendique vias mille ministrat Amor.
Non iræ non vincla queunt, non verbera Amorem
Pellere, non ullâ pellitur arte Venus.
Quam Danae munita fuit! Venerem tamen illa
Experta est tota nocte furente Jove.
Non potuere Dii superare Cupidinis arma,
Et tu tam dure claudis inepte fores?
Frustra clavis inest, nam munere victa patebit,
Sit quamvis triplici janua clausa serâ,
Et canis advigilet, custos & sedulus adlet
Liminis, ad sonitum clamet, & ille pedum.
Tunc quum Deucalion lapides jactavit in orbem,
Insita tunc saxis vis, & Amoris erat.
Quum Natura ruet, tunc ipsa Cupidinis arma,
Tunc etiam Veneris fortia regna ruent.

ELEGIA X.

BElligerum primo meditabar arundine Regem,
Vel pace insignem concinuisse Numam,
Distracta aut rapidis Suffeti membra quadrigis,
Tollere & innumeris laudibus Hostilium.
Vel Servj cædem immeriti, natamque scelestam
Audentem patris conterere ossa rotis.
Tarquinii facinus memorare, aut plaudere Bruto
Ferro juranti Regibus interitum.
Huc ades, exclamo, numerisque infunde leporem,
Bellerophonteos linque Thalia lacus.
Mercuri ades, mihi ferque lyram, romanaque facta
Dum cano, fac quæso Juppiter ipse vacet.
Et mea fac Nerei sic fistula mulceat aures,
Eloquio ut solitus detinuisse Jovem.
At mihi Mercurius: quid me tot bella tot enses
Inter, & armatos vis cecinisse duces?
Juppiter amentes me vult compellere virgâ
Ejectas bello in tartara nigra animas.
Sic Deus. Æstivis vexata caloribus illa,
Poscendi citharas hoccine tempus? ait.
Me pater, arentes dum findit syrius agros
Jam vetuit chordis applicuisse manus.
Urentemque rotam jussit vitare sub umbra
Arboris, ad sonitum prætereuntis aquæ,
Et zephiros captare leves, & fallere soles
Atque aganippæo mergere fonte comas.
Quare ne noceant æstus, neu caussa furoris
Sit tibi Tarquinius, vel modo Brutus, abi.
Dicetur Sextus, Lucretia, Consul uterque,
Tempora ut ardentis præteriere canis.

JANI

JANI-BENEDICTI BARBÆ
ELEGIARUM
LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.

EST Itacam contra Epiros celeberrima tellus,
Ionia huic steriles abluit unda pedes,
Dicta fuit Leucas, nubes sibi despicit imas,
Longinquas alto vertice terret aquas.
Surgit ab excelso sinuosa cacumine rupes
Porrecta ionias ad maris usque vias.
Hoc tibi Acarnanes posuere in vertice templum,
Sanare ut Veneris vulnera Phœbe velis.
Huc veniunt flentes, dant thura, queruntur ad aram,
Et cadit ante tuos hostia multa pedes.
Dein Veneris laqueos, vitamque e rupe perosi
Protinus ima petunt æquora præcipites.
Horum pars animam rapidis deponit in undis,
Et stygios posito tranat amore lacus:
Horum, quem Phœbus, vel candida Neptunine
Ex orci horrificis faucibus eripuit,
Liber abit, fractos videt ire Cupidinis arcus
Victor, & extinctas æquora ferre faces.
Aerias tentasse vias e rupe timenda
Audacem primum Deucaliona ferunt.
Liber ut ionias udo pede pressit arenas,
Et votiva tibi munera Phœbe tulit:

In-

Incolumis Pyrrhæ non amplius arsit amore,
Lumina non roseas deperiitque genas.
Argis exanimem Cytherea ut vidit Adonim,
Insolabiliter Leucada Diva petit.
Hanc ut caoniæ pelago mersere columbæ,
Te flere ereptum cessat, Adoni, Venus.
Ipsum etiam referunt, cælo fugisse relicto,
Ad Phœbi medicam Leucada sæpe Jovem,
Juno Lycaonidis commota ut propter amores
Perstitit a socio secubuisse thoro.
Hoc iter aggressi Fortes. Non ulla puella
Spreverat horrendæ dira pericla viæ.
Prima fuit Sappho perculsa Cupidinis arcu
Mascula magnanimis anteferenda viris.
Ut Deus urentis sanet sibi vulnus amoris
Supplicat inflexo terque quaterque genu.
Ah fer opem mihi Numen ait, mea flamma medullas
Urit io quantis ignibus Ætna Phaon.
Perfidus ille Phaon, peperit quem dira caribdis,
Vel flammas volvens ore chimæra ferox,
In siculo nuper miseram me littore flentem
Deseruit, surdo surdior ille mari:
Aut tua mi flammas e pectore diluat unda,
Aut nova longinquis piscibus esca natem.
Dixerat, & nullo mortis perculsa periclo
Se dedit e scopulo præcipitem in pelagus.
Aera per liquidum: pereunti, Di date, Sappho
Obvius ut fiat perfidus ille Phaon.
Ingeminat, scelerate Phaon; hæc faucibus hæsit
Ultima vox, præter nil videt illa necem,
Non potis est plectro pelagus domuisse reperto,
Edere divinos huic vetat unda sonos.
Non hanc Neptunus, non audit Doris in undis,
Ut foret Ionii facta puella maris.

Non

Non huic ocurrit qui vexit Ariona delphin,
Non huic aurato tergore venit ovis.
Omnia sunt deserta salo, non ulla salutis
Obvia spes, ipsi flebilis illa mari
Occidit. interitu rupes vicina remugit,
Et Stygium Sappho cernit inulta canem.
Ingemit & tenebris obnubit tempora Phœbus,
Penituitque illum Leucadis esse Deum.
Par heu Mercurio fidibus, nec Appolline dispar
Per te crudeli morte puella perit,
Et superimpositam renuis gestare Cupido?
Et tua non illi sustulit ala latus?
Ah miserum, Cytheræa jugo quem torquet ahæno,
Et Puer impositis colla præmit pedibus.
Si quis erit tales nequeat qui ferre furores,
Et fleat æternas ire per ossa faces:
Est Itacam contra ionii maris insula Leucas,
Hic sibi leucadio in gurgite quærat opem.

ELEGIA II.

CUr finis aureolam, qua pulchrior ipsa refulges
Abscindi ferro, Lux mea, cæsariem?
Hoscene jam nostro celebratos carmine crines
Calcari ignotis, Vita, finis pedibus?
Circumagi & variis huc illuc Delia ventis?
Me miserum! hos tandem vilis arena teget?
Nunc Latôe tibi nunc & datur esse superbum
Bacche potens, aureis dum caret illa comis.
Ah pereat quacunque manus cervicis honorem
Cæsariem ferro demetere ausa fuit.
Ah pereat quicunque ausus frontemque decoram
Me invito, roseas & tetigisse genas.

Fac

Fac cito ſint reduces capiti, laus inclyta, crines
Jam Venus, & ſolitis orbibus ire queant:
Et doceas quonam melius medicamine creſcant,
Quos tecum pectat fac tuus ipſe Puer.
Pecte Puer crines, pro me fer & oſcula ocellis,
Mille lubens labiis, & totidem adde genis.
Quod ſi te pigeat, vetet aut Cythereia, ſemper
Crinibus intentas applicuiſſe manus:
In roſeo ſedem felix tibi quære ſinu: quis
Quis poterit cælo gratior eſſe locus?
Non ita ſtellarum, varios qui comperit ortus,
Quique obitus multâ ſedulus arte Conon
Sydereos inter vidit ſplendere nitores,
E Bereniceo vertice cæſariem;
Colla per ut vidi crines errare micantes.
Ah perdant illam Dique Deæque manum!
Digni Callimachi celebrari carmine, digni
Quos inter videat ſydera clara Conon.
Hos ſi Dî dederint adoleſcere vertice crines
Devotos orco ne patiare Venus.
Immo Ariadnæos inter, Berenicis & ignes
Inſeruiſſe velis hanc, Dea, cæſariem.
Et non Tyndaridas, ſed amica hæc ſydera ſervet
Navita, cum pelago ſæva procella fremet.
Illa dies terris prænunciet alma ſerenos,
Illa rates dextro lumine amica regat.

ELEGIA III.

NOn ita lætus eras, Phœbe o, pythone perempto,
Condita cum fuerunt pythia ſacra tibi.
Non ita terrifici gaviſus cæde leonis
Victor ovans ſpoliis Amphytrioniades:

Nec

Nec sic Andromache monstris devota marinis
Læta, ut ferre sibi Persea vidit opem.
Non ita & Æsonides elatus Colchidos arte
Cum fuit auratæ vellere dives ovis:
Ut lætatus ego nuper, cui pulcra bibendos
Ambrosiæ succos Delia sponte dedit.
Ut Venus ardenti blanditur amica Gradivo,
Sic mihi par Veneri Delia, dixit amo.
His ego subripui verbis elatus eburnæ,
Basiolum dextræ dulcius ambrosiâ.
Basiolum hoc animi funestas protinus umbras
Dispulit & quidquid triste in amore fuit.
Lætitiamque tulit, qualem tunc hauserat ipse,
Cum Ledæ in gremium Juppiter insiluit.
Cuinam ego tunc vellem magnorum cedere Divum,
Tacta fuit labiis dextra ut eburna meis?
Jam jam lætitias jam jam geminare lepores,
Audebamque novas quærere delicias.
At Dominæ in vultus in luces serpserat ira,
Illa mihi tristi tristior ira nece.
Delia præcipites ne nos e luminis auris
Escam projiceret tartareum ante canem,
Abstinui, & fixus non tollere lumina terrâ
Audebam, & subito desiit esse ferox.
Hæc ego non gemmis, non æquoris oscula conchis,
Non Arabum vellem cedere divitiis.
Nec mutare velim nostros, mihi crede, calores,
Subdita si nobis India tota foret.
Illa mihi contacta meis modo dextra labellis,
Aurato est multo vellere habenda magis.
Si semper placidis mihi blandiretur ocellis
Nunquam me torvis discrucians oculis:
Amphitryoniades nec vellere dives Jason,
Nec Mars invidiæ, aut Juppiter ipse foret.

ELE-

ELEGIA IV.

Nescio quem vidi prope te, cui Perfida ad aures
Dicebas dulci dulcia verba sono.
Hinc gelidos fera cura meos subrepsit in artus,
Cura ipsâ multo frigidior glacie.
Qua crucior vereorque alias ne quærere tædas
Malis, alterius sisve futura viri.
Ecquis non istis, mea lux, ardebit ocellis?
Quis nolit roseis, vita, inhiare genis?
Hei mihi, discrucior, si quisquam limen adivit,
Seu sedeat, tecum seu velit ille loqui.
Sive adeas matrem seu dixeris ipsa sorori
Salve, seu fratri dixeris ipsa vale.
Seu pictos homines fixis mediteris ocellis
Ipse color misero est proxima caussa necis,
Seu tu marmoreos, seu contempleris eburnos,
Me necat hoc marmor, me necat illud ebur.
Tu potes in tabulas, potes ipsa in saxa furorem
Iniicere, in ventos, in freta surda facem.
Qualis cum stygias vehitur rate nuda per undas
Vmbra, tuum expectans, Æace, judicium,
Hac veniunt manes, hic Cerberus excubat horrens,
Illic anguineis crinibus Eumenides:
Sic ego per tenebras, per dira silentia noctis
Absens a Dominæ luminibus crucior:
Et vereor ne quis per vim sibi quærat amores,
Et nostra ille malus gaudia præripiat,
Et vereor Cælo ne Juppiter ipse relicto
Nolentis Dominæ in candida membra ruat.

ELE-

ELEGIA V.

QUæ sine honore jacet longæva per ocia pacis,
Et Venere, & multo est obruta turba mero,
Hæc libertatis vindex, hæc crimen ob unum
Urbe olim Reges ejicere ausa fuit.
Sævire & fasces cæpere ut Consulis, hæc est
Quæ jura ausa sibi condere monte sacro est
Hæc eadem exilium patribus mortemque minata,
Nec gemini voluit Consulis ora pati.
Jam bis quinque viri gemino pro Consule lecti
Tradantur donec jura Solonis erant.
Appius hos inter popularis callidus auræ
Captator, plebi triste parabat onus.
Vera loquor Plebs: questa decem pro consule reges
Clamabis nostrum cura, Tribunus ubi est?
At ferus ille inhians regno, sine sanguine vestro
Nec sibi tuta unquam regna futura ratus:
Hunc cædi jubeat virgis, hunc colla securi
Tradere ut incusso regnet ubique metu.
Sed Venus ipsa sibi gaudens servire Tyrannos;
Et trahere audaces in sua jussa Duces,
Albanam (a) *ulciscens cladem, quod missile ferrum*
Torserat indomiti in pectora Tarquinii,
Illud idem telum pectus contorquet in Appî,
Permiscere novis ut queat urbem odiis.
Appius ardet amans simulac plebeia Virgo
Oblata imprudens illius est oculis,
Non illã fuerat latio formosior ulla,
Non ita pulcra olim Sylvia Martis amor.
Non

(a) vid. eleg. VI. libr. 1. de Horatiis, & Curiatiis.

Non ita quæ patitur falso succumbere Cycno,
Aut quæ dorsa premit per maria alta Jovis.
Audebat nemo per vim sibi quærere amorem.
Ah pereat, si quem vis in amore juvat.
Virginia huic fuerat, nomen si Delia quæris:
Si formam, ut fertur, par fuit illa tibi.
Crinibus illa tuis, & eburnæ hoc frontis honore;
Illa suæ, ut tute es, delicium urbis erat.
Ergo tui similis. Non illi Juppiter aureo
Imbri pollueret jura pudoris amans.
At mage amore ardens furit Appius, imperiique.
Oblitus, præceps diro agitur scelere.
At frustra ille furit: sunt omnia septa pudore
Non auro, aut gemmis janua nocte patet.
Nec longum tempus: lateri nutricis adhærens
Ingreditur medio dum pudibunda foro,
Occupat hanc leno, nulla est fuga, serva puella es:
Me sequere ergo & nostra eja age tecta subi.
Nam quis te mihi subripuit? ceu fulmine tacta
Obstupet, & gelido contremit icta metu.
Dî prohibete scelus, miseræque accurrite formæ,
Romani, miseræ ferte lubenter opem,
Exclamat nutrix: clarus bellique domique
Huic, ecquis nescit? Virginius pater est,
Sponsusque Icilius. Quid? inuri tale feretis
Dedecus bisne viris, sanguine qui patriam
Tutantur fortes? his impune eripietur
Virgo patriciis præda libidinibus?
Virginis auxilio accurrunt, turba undique, leno
Mancipium tradi flagitat usque furens,
Inque rapit jus Virginiam, subsellia ad Appj
Itur, narratur fabula nota Viro.
Appius his sperans se se artibus obtenturum
Virginis amplexus: talia dicta dedit:

Res

Res donec liqueat melius, ferat actor ad ædes
Virginiam, per me res sua cedat hero.
Flet virgo & miseros singultus ore cientem
Audiit hanc sponsus, martiaque ora gerens,
Quid tu reris ait, sceleris caput, impie Claudi:
Num servire tuis jussa cupidinibus
Quam mihi spondet Hymen? Junonia numina juro,
Extra maternam non eat illa domum.
Si libertatis quòd propugnacula plebis
Jura tribunorum jam cecidere, Patres,
Creditis iccirco violari posse pudicas,
Erratis: nostrum non sine cæde datum est.
Horruit Icilii verbis, decretaque differt.
Interea e castris virginis ipse Pater
En redit accitus: vivescit vulnus amoris,
Uritur, atque addunt ora revisa facem:
Ipsa repulsa virum inflammat, pronunciat ergo,
Hanc rape tu lictor: res sua cedat hero.
His dictis acri genitor tunc percitus irâ,
Injiciensque Appi in perfida colla manus:
Non tibi despondi natam, non, Perfide, stupro,
Appj quo tandem progrediare vide.
Immemor an Bruti? quibus arma, & corda supersunt
Hoccine passuros decus esse putas?
Dixerat, & multo cum jam lictore puella
Esset in infames ire coacta manus:
Virginia infelix! sua quam pote perdere forma:
Heu cur ante patri non cecidere manus!
Arrepto Pater e lanio, mea Delia, cultro:
Virginia hoc ferro libera dixit eris.
Dixit & heu natæ confodit pectora ferro.
Tanti libertas, tanti & honor generis
Atque pudicitiæ. Nuptæ innuptæque puellæ
Exclamant: castas hæccine fata manent?

Undique ploratur, tollensque cruore madentem
Virginius gladium: teque tuumque caput
Adjuro, heu Pater infelix! haud impius iste,
Impune haud faxim, Nata, ferent alii.
Aspicies Patres sectis cervicibus, Umbra,
Sanguine plebejos, Nata, lavare pedes.
His super illacrimans mœstis immugiit antris,
Iratisque Tibris verticibus fremuit,
Fœdam animam donec vidit vomuisse Tyrannum, &
Urbe exturbatos Tarquinios alios.

ELEGIA VI.

Candide Liber ades, quem semper pulcra juventa,
Quem decorant longa colla per alba comæ:
Funde falerna, tuo sint pectora Numine plena
Inspiret teneros, & liquor ille modos.
Ite procul curæ, gratæ venere calendæ
Natalis Dominæ cum peragendus erit.
Lucidior Titan radios mihi vibret amanti,
Pacato ludant æquore Nereides.
Hoc cycnis invecta die Cytherea beatos
Ad dominæ rectà fertur adisse lares,
Admoruntque meæ Venus, & Cythereius ales
Oscula multa oculis, oscula multa genis.
Tu cape, sancte Geni, multos tibi thuris honores,
Et flavas ornent florea serta comas.
Nunc dapibus mensas struere & convivia tempus
Nunc agere, & lætis concinuisse modis.
Nunc inter choreas valeam ductare puellam,
Deliciasque omnes arripere unus ego.
Effice Diva Venus, Dominæ non audeat ullus
Sub tunica audaces implicuisse manus,

Nec

Nec pede compressisse pedes, palmamque tenellam
Scalpsisse, inque aurem verba proterva loqui.
Si quis surda ruat vesanus in oscula amator,
Bacche, subire jube hunc Pentheos omne malum.
Quod si tu efficies, me & Delia palleat uno,
Haud te ullo posthac tempore non celebrem.
Dicam ego conversos delphinum in corpora nautas
In pelagi undosas desiluisse vias.
Dicam ego te immanes olim stravisse Gigantes
Audentes magni scandere regna Patris.
Et referam indociles te curru adjungere tigres,
Infernumque tibi lambere crura canem.

ELEGIA VII.

HEi mihi formosæ defecit forma puellæ,
Hei mihi funestus surgit in ora color,
Læduntorque genæ læduntur, & hei mihi ocelli,
Jam nec ut ante illi pulcra labella rubent.
Nec mi animi tristem dispellit corpore nubem,
Invitæque tegunt pallida colla comæ.
Ah procul hinc fera febris eas pete tartara dira,
Inferre huic fœdas nec meditare manus.
Orgia cum nuper celebrarat veste virili
Illa, puellarum maximus ardor erat.
Non sic Attys erat formosus, vel Ganimedes
Narcissusve, aut magni Herculis ardor Hylas.
Ingemit, & misero nunc tabet perdita fletu,
Et dolor & lacrimæ cuncta tulere bona.
Adsis Phœbe, parens medicæ qui diceris artis,
Adde precor medicas huic age Dive manus.
Hanc libeat vati servare salubribus herbis,
Hoc decus Ausoniæ restituisse velis.

Affer opem ex alto, Venus o, sublimis Olympo:
Ipse mori potius vivat ut illla velim.
Fac cito sanetur, redeantque in membra nitores,
Excubet in roseis, & Puer ipse genis.
Saevitiae vires quas perfidus addidit ille
Humano generi primus Japetides,
Post pia convellas duro de corde puellae,
Tygridis, & si pars si qua leonis inest,
Ipsa columbarum teneros converte in amores,
Meque columbarum deprecor instar amet.
Namque ego saepe tuas narrabo, Amathusia, laudes
Carmine, quod deceat Orphea quodque Linum.
Teque triumphali vectam per Sydera curru
Heroum spoliis scribam onerare rotas:
Et dicam Phoebum, dicam tibi cedere Martem,
Addam & supremum, si cupis ipsa, Jovem.

ELEGIA VIII.

HUc ades, o Lethes frater, pernicibus alis,
Huc ades, inque meos labere, Somne oculos.
Tu potis es curis ardentes claudere ocellos,
Tu potis es miserae claudere corda faci.
Excutias, oro, nostro de pectore amorem,
Et mi dulci imple Somne sopore animum.
Te veniente, meae aufugiant simulacra puellae,
Eque cubili audax egrediatur Amor.
Ne cogar noctes misero traducere fletu,
Neve furens totos advigilare dies.
Cum Dominae nobis fera facta animo obversantur,
Cumque in me vires exerit illa suas.
Pallorem ac maciem circum nos stare videmus,
Ipsaque sunt nobis mollia strata rogus.

Per

Per flammas versor medias, sævitque medullis
Ardor, & hinc illinc tristia corda gemunt.
Quotquot & infernos tellus fert ima colubros,
Intueor totidem squallidus in tenebris.
Delia nunc nostris divellit visceribus cor,
Nunc saturat fuso sanguine læta sitim.
Nunc pede, & exangues artus vesa ia furenti,
Nunc mea ferratis conterit ossa rotis.
Qualiaque Ixion, Titiusque, audaxque Prometheus
Ad styga dicuntur millia multa pati,
Tales me noctu cogit perferre dolores,
Totque meis gaudet illa superba malis.
Ite procul tenebræ pallentes ite sub orcum,
Mergaris stygias pallida nox in aquas.
Quassetur que tuus qui te fert impia currus,
Inque Erebi extemplo præcipites barathrum.
Tu flammis flammas addis, timidoque timorem,
Tuque furenti nox dira furorem animo.
Somne, quies hominum, lassos tuus occupet artus
Fac sopor, & careat, si licet, hora metu.
Non getula oculis occurrat Delia tigris,
Occurrat menti nec malus ille Puer.
Delicias animo nolim obversarier ipsas:
Deliciæ ficto sunt in amore malum.
Non manibus prætentet iter, nec Delia in umbris,
Suspirans, falsam det mihi lætitiem.
Namque ego cum vigilans video data cæca tenebris
Oscula, & has noctem fingere delicias,
Emorior curis, & longos lumina fletus
Fundunt, & lacrimis stragula picta madent.
Mortales quam fallit Amor! quis credat Amori?
Visus eram magni scandere tecta Jovis.
Insuetis, cum cepit Amor nos urere flammis:
At nunc infelix toxica dira bibo.

 Tunc

Tunc vacuum ignoti pectus mulsere calores,
Nunc magis accenso sulphure aduror ego:
Surgit amarities ipso de fonte leporum,
Et sub deliciis vipera dira latet

ELEGIA IX.

ME Furium dicente altâ Tarpejus ab arce
Juppiter agnoscat Vindicis arma sui:
Me Furium dicente superbiat inclita Roma,
Græcia & huic doleat non habuisse parem,
Nam quos mentiri facilis pollensque cothurno
Eroas finxit Græcia, Roma tulit.
Hoc steterunt uno Capitolj Vindice templa,
Nec versa in cinerem est ara superba Jovis.
Quis capit ingentem muris ingentibus urbem
Septam, quis Veiis ultima fata tulit?
Romanæ frustra steterunt bis quinque decembres
Circum illam vires: fortior hostis erat.
Plus tibi Roma metus tunc Veijus attulit hostis,
Sæpe minata tuo est Veiia Juno Jovi.
Uno capta die virtute urbs tanta Camilli,
Victoremque sequi Diva coacta ducem est,
At propter Furium se velle libentius inquit,
Seque levem in puras transtulit illa manus,
Ut sua Aventino properent consistere monti
Numina, quæ Vejas postlabuere domos.
Tunc Romæ merito columen, tutelaque Marte
Vectus eras niveis Romulus alter equis,
Romulus alter eras par tu virtute Quirino
Par animis, sed me judice. major eras
Primorum pueros cum prodidit impius ille
Dixitque: hoc magno munere vince potens:

Hoc victi extemplo facient tua jussa Falisci,
Et niveis iterum Marce vehari equis.
Perfide dicebas: sunt pacis juraque belli:
Non hoc Romula gens prælia more gerit.
Si licet armorum patria virtute Faliscos
Vincere, sat virtus ipsa triumphus erit.
Hinc tibi tunc grates egerunt Patria, & hostes,
Hique tibi victas sponte dedere manus.
Virtuti parere tuæ tunc Roma coacta est,
Et tandem Delphis solvere vota Deo.
Albus equus, Junonia templa, & Apollinis aurum
Invidia, & scelerum mater avarities
Ejecere patrem Patriæ procul urbe Camillum.
Ah pereat quicunque ille Tribunus erat.
Cur tua, non plebem, cur nec petiere Tribunum
Juppiter irato fulmina missa polo?
Hoc abeunte Deum fremuerunt signa per aras
Et Phœbo lacrimis immaduere genæ.
Tibris & irato desert se vortice: Juno
Exclamat: pulso hoc væ tibi Roma duce.
Te caruisse suo gemet impia Roma Quirino,
Te sine nec salvum sentiet esse Jovem.
Roma satis nosces plebejo elata tumultu,
Portendat Vestæ quid ferus ille sonus.
Hostis Aruns patriæ violatæ conjugis ergo
Alliciet Gallorum agmina capta mero.
Cautibus alpinis descendent agmina in agros,
Quos late rapidis irrigat Arnus aquis.
Jam Clusium captum est, nec opem tu ferre valebis:
Nascentur Fabiis horrida bella tribus.
Jam celeres in bella ruent Galli horrida bella.
Pars Romanorum vilia terga dabit,
Pars formidatis animam vomet hostibus, heu heu
Vera loquor factique Allia testis erit.

Gallica nonne tuos perrumpunt agmina muros?
Nonne tuos audent, Roma, cremare lares?
Nonne rubere vias vidisti cæde tuorum,
Vectus erat per quas ante Camillus ovans?
Mentior? an Gallus Divorum scandere in arcem,
Ipsum nonne audet pellere ab arce Jovem?
Ansere ni sacro tunc Manlius excitus audax,
Hinc hostem, & clypeo præcipitem ejiceret:
Essent alma Jovis Brenno simulacra triumphus,
Et Patrum hostiles Turba secuta rotas.
Sed leve præsidium fortis tibi miles & anser,
Undique clausa armis, undique dempta Ceres,
Undique funesto circumdata milite Româ
Haud longâ fueras Tu peritura die.
Una salus tuus exul erit, tibi Romulus alter,
Ardea quo primum est vincere docta duce.
Non sinet ille auri te pondere Roma redemptam
Vivere, nec Brenno jura ferente tibi.
Ille aderit gladium Gallus dum ponderi iniquo
Addit, væ victis dicere & audet atrox.
Væ vobis Galli, magno properante Camillo:
Non vestræ cladis nuncius ullus erit.
Quid? leve natam armis duxistis sternere Romam,
Cum Romæ adfuerint Juppiter, & Furius?
Væ vobis, aciem jam Romulus instruit alter:
Spes nulla est, miseræ ni dare terga fugæ.
Nec mora, præcipites fugiunt per devia saxa
Nequicquam, infrændens terga ferit Furius,
Instat atrox lateri, nolitque evadere quemquam,
Omnes, quotquot erant perdidit una dies.
Sis magnis fac grata Viris: sine Roma Camillo
Obliviscendi nominis umbra fores.

ELE-

ELEGIA X.

NUnc age, nate Jovis propera testudinis auctor,
Et Divum interpres pulcher Atlantiades.
Tu mores hominum sævos mollire canoris
Versibus, & scisti pectora dura sono,
Auritosque tuâ lapides testudine ductos
Sponte in murorum membra coisse ferunt:
Sic fidibus valeam fac duram vincere cautem,
Carminis, & vires sentiat illa tuas.
Gloria major erit hanc flectere posse puellam,
Sistere quam fluvii prætereuntis iter.
Vel fidibus lapides, & duras ducere quercus,
Nam quercu atque undâ surdior & scopulo est.
Quid non Dive potes? Phœbo, Cyllenie tauros,
Et pharetram irato subripuisse potes.
Diceris, & Veneris natum vicisse palæstra,
Et Veneri multas blanditias facere.
Subripere & zonas, ut laxior illa, per artus
Det tibi posse tuas ire redire manus.
Si tibi dulce fuit puerum tunc vincere Amorem;
Sub tunica & Matris implicuisse manus,
Eripias oro furtim fera spicula Amori:
Perfacile est, cœcus dicitur ille Deus.
Illa eadem in Dominæ jaculeris pectora tela,
Vulneribusque tuis ardeat illa face.
Tu mihi Dive precor crudelia corda puellæ
Flectere posse meis da bone, carminibus.
Delia, & argivas dicatur vincere formas,
Dicatur neptes vincere & una Remi.
Et merito mea Musa superbiat, & mihi sertum
Imponat claris candida temporibus.

Jam

Jam mihi Battiadæ, dulcis jam, Dive, Tibulli
Da teneros, Phœbo non renuente, modos.
Neve huic sit curæ, Nemesi præstare puellam,
Quantum is præcellit carmine & ingenio.
Hanc propter Cælo posset descendere ab alto,
Junonem, atque alias deseruisse Deas
Juppiter, & niveis iterum resonantibus alis
Cycnus in istius pervolitare sinum.
Juppiter abstineas, nil cycnis indiget illa.
Sat te terrestres Cælicolæque beant.
Quæ me felicem faciat, vix una puella est:
Hæc mea dicatur, si licet una, Pater.

ELEGIA XI.

QVid? tua num siluit dives facundia mentis,
An tua mens alio Posthume versa fuit?
Ipse cupidinea quamvis face sæviter urar,
Et præter dominàm nil cecinisse queam;
Attamen hos inter tacitus tu serpis amores:
Quodque dolet, nullum mittis epistolium.
Si modo scire velis quid agam, mens tota procellis
Fluctuat & multis ignibus usta furit.
Corda bibunt ignes, animique & lumina & aures,
Et quacunque meant pectora in ima faces.
Ridet ager, rident segetes, armenta feræque
Lætantur, nubes dissipat alma dies.
At mihi non animo nubes, non frigida cura,
Non abit e tristi pectore tristis hyems.
Semper & adverso fulget mihi Sydere Phœbus,
Semper in exitium nox venit atra meum.
Delia ad extremas est vexatura tenebras,
Est ustura meum pectus ad usque rogum.

Sæva

Sæva minus scythiæ tellus, & inhospita syrtes,
Et minus hyrcana in rupe leæna foret.
Interea senior nostros irrepsit in artus
Ætas, inque meas plurima ruga genas.
Quippe ærumnosæ flenti mihi tempora vitæ,
Trudenti ac veluti sysiphium lapidem,
Tarda dies abiit, menses mutavit in annos,
Inque dies horas frigida cura graves.
Nec mihi dat requiem, crebro per corda per artus
Per venas serpens fervida flamma meas.
Ausus eram nuper flammam restinguere amoris;
At me deludens, siccine dixit, Amor,
Siccine tu nostrum sperasti temnere Numen?
I modo, quisque ego sim perdidicisse velis.
Nec mora, lethiferas in nos jacit ille sagittas
Quotquot habet, magno vel populo nimias.
(Solus amans animo videt impendentia fata,
Solus, qua veniat mors videt ille viam.)
Me miserum! propere studeam ni flectere Amorem,
Jam jam me propter flumina nigra sonent.
Cerberus horrificis mihi sibilet ipse colubris,
Alecto anguineis, & redimita comis.
Ne peream infelix durandum est, qualibet arte
Ut possim dominæ frangere duritiem.
Per freta mons ibit citius variata procellis,
Et segetem citius cærula salsa ferent,
Quam possim dixisse, vale fera Delia; fracto
Et Veneris tandem liber abire jugo.
Namque ut ab igne volans neglecta favilla per auras
Parva solet magnas urere adaucta domos:
Parva puellari veniens, e pectore flamma
Urere adaucta solet fortia corda virûm.
Felix, qui primam potis est restinguere, felix
Spicula qui Veneris frangere prima potest.

Nec

Nec bibit ille faces oculis, nec ab ore puellæ
Traxerit arenti dira venena siti.
Ista necant animi vires: hinc frangitur ipsa
Et ratio, & virtus quæ decet una probum.
Fortis erit nemo qui se subjecit amori,
Et sapiens nemo dici in amore potest.
Omnes ante velim Martis tolerare labores,
Quam tua signa Venus, militiamque sequi.
Nam tua cum recalent fera prælia, nulla triumphi
Spes ulli, laurus tempora nulla tegat.
O ter felicem miseros qui ferre furores
Noluit, & falsis credere blanditiis.

ELEGIA XII.

HEu qua discessi numero pellenda dierum
Non sine funestis fletibus atra dies,
Hæc miserum perferre furentia flabra Aquilonum
Jussit, & infido credere me pelago.
Ah si vidisses, ut cærula regna fremebant,
Sis licet, & ferro durior & chalybe;
Ingemuisse meis potuisses mæsta periclis,
Et teneris crines lædere pollicibus.
Dj maris Adriaci, clamasses, parcite vati,
Ne miser heu surdis piscibus esca natet.
Si mecum fueras, perculsus vulnere amoris,
Neptunus rapidis non fremuisset equis.
In te inhians sævas placasset gurgitis iras:
Prona tibi & supplex lamberet unda pedes.
At quoniam abfueras, nemo placaverat undas,
Attulerat mihi jam ventus, & unda necem.
O centum exclamo Nereo genitore puellæ,
Vos vatem ex orci faucibus eripite:

Effi-

Efficite heu primæ peream ne flore juventæ
Neu fleat effusis nostra puella comis.
His dictis: vasto nos cum unda voraret hyatu,
Monsque ruentis aquæ læti aperiret iter.
E mare prosiliens tot dura miserta pericla
Obvia fit nobis cœrula Cymothoe,
Direxitque ratem, tum lintea itura sub undas,
Sustulit, & faciles mi dedit illa vias.
Horrificas tandem passum tumidi æquoris iras
E mortis nigro limine restituit.
Hæcne potes siccis audire pericula ocellis,
Nec terret capiti mors properata meo?
Non proficiscentem ad claras prospexit Athenas
Iis oculis Phillis Demophoonta suum:
Non ita, Trojanis inhians Regina hymenæis
Iliacas Dido vidit abire rates:
Non & iis oculis aspexerat excita somno
Gnosia, amatorem corripuisse fugam.
Illa furens toto clamabat litore Theseu,
Theseu clamabat perfide, flecte ratem.
Nunc misera afflictas in cœlum tendere palmas
Pergit, & in Pelagi solvere verba Deos:
Æole nunc clamat, ventis impelle carinam
Retrorsum, & Theseum, perfida redde, ratis.
Obruar ipse licet, pereamve voracibus undis,
Impia, non gemitum me pereunte dabis.
Et te suspirem? peream te Delia syrtem?
Ah Venus insanos quam facis esse viros.

ELEGIA XIII.

QVid mirare meæ si gestet mentis habenas,
Regnet & in misero Delia corde potens?

Hac

Hac ego ni tenear, pelago marpesia cautes
Ipse forem, & surdo surdior Oceano.
Seu choreas ducat, digitis seu pulcra sonorum
Delia tangat ebur, carmina sive canat:
Prætereuntis aquæ chordis hæc sistere cursus:
Cantibus hæc posset detinuisse feras.
Non hac Euphrosine, non hac Aglaja decentes,
Non hac inflectit arte Thalia pedes.
Et si, quod raro est, blanditur amica, videtur
Cypria, quidquid agat, pulcher habetur Amor.
Illa quidem digna est, cuperet quam maximus ipse
Posthabito Eneâ concinuisse Maro.
Aut quam Meonius cytharâ celebraret Homærus,
Aut saltem docti fistula Callimachi.
Amphitryoniades iterum pro virgine credo
Hac, traheres forti mollia pensa manu:
Juppiter hac velles mugire in littore taurus,
Lambere & huic teneros per maria alta pedes.
Hanc Helenæ posses unam præferre puellam
Tu tot bellorum fons, & origo Pari.
Tantum forma potest: merito parit horrida bella
Et merito ob formam diruta Troja fuit.
Omnia vertat Amor, cedat jam magnus Amori
Juppiter, & Mavors: fortior iste Deus.
Iste mihi sanxit leges, parere coegit
Imperio, ite a me cætera jura precor.
Nunc ubi jucundo Dî dant mihi flore juventæ
Posse frui, nostrûm ille arbiter unus erit.
Ast ubi tristis hyems vitæ subrepet inerti,
Et membris pigras afferet illa nives:
Tunc mihi erit curæ tractare forensia jura,
Vel mundi mirum carmine dicere opus.
Fac modo, Vita, velis facile in mea vota precesque
Ire, viget quando vere juventa suo.

Aspi-

Aſpice uti furtim Phœbi fugiente quadrigâ
Subrepit celeri nox taciturna pede,
Aſpice ut ammittit formoſos Luna colores,
Utque comæ arboribus, flante Aquilone cadant:
Sic roſeas pallere genas, ſic lumina cernes
Squallida, ſic fugiet, qua modo forma places.
Immortale tuæ nihil eſt, niſi fama juventæ,
Immortale tuum hoc carmine nomen erit.

JANI-BENEDICTI BARBÆ
ELEGIARUM
LIBER TERTIUS.

ELEGIA I.

BRate pater patriæ, primo sate Consule ab illo,
Quo Regum exacta est pristina progenies,
Cujus perdocuit Romam memoranda securis:
Esse mori satius, quam dare colla jugo,
Isdem animis celebrandus ades, virtutis avitæ
Æmule, majores inter habende Deos.
Non quia Romanus siluit te Pindarus, & qui
Eneæ longas condidit Iliadas:
Quive elegis potuit coo certare Philetæ,
Nec cyrenæo cedere Callimacho;
Ipse ego te taceam: nolim placuisse Tyrannis,
Odi ego Tarquinios, ut tuus odit Avus.
Non ego mentiri didici: jam Cæsaris ite,
Ite hinc, o servum vos procul omne pecus,
Mos quibus est molli blandiri carmine Regi,
Et capere amentes callidiore lyrà.
Ite & in Antonî laudes, narrate Lupercos,
Et plaudant teneris vilia scorta modis.
Quique puellari violavit Numina formâ,
Cæsaris & falsâ veste fefellit anum.
Nil numeris opus est Bruto, dum serva poësis
Edidicit falso nectere verba pede:

 Te

Te celebret sapiens, Te liber, despice Vates,
Laus, mi Brute, tibi Tullius ampla satis.
Me bona libertas, ingentis et umbra Catonis,
Me Romæ de te dicere jussit amor.
O utinam his victrix numeris tua gaudeat Umbra,
Et libertatis præsidium omne Cato,
Cassius, & Cicero, & contemptrix Porcia flammæ,
Quicunque & fortes occubuere viri.
Siccine vis patriam penitus pessumdare Cæsar,
Atque statori vis bella movere Jovi?
Siccine vis capiti diadema imponere calvo?
Et tua Romanos sub juga ferre Deos?
Ejecit clypeo Capitoli e vertice Gallos
Manlius, audentes vi pepulisse Jovem:
Hunc ubi regnandi cepit scelerata libido,
Nonne e tarpejo dejicitur scopulo?
Et te non Patriæ pietas, non cura moratur?
Nec te tot gemitus terruerantque minæ?
Forsan erant Parthi vincendi ab Rege? Sibilla
Versuto ut vati dicere visa fuit.
Ah quot decrevit tibi libera Roma triumphos,
Ah quoties sacrâ plauserat illa viâ.
Integer ut mentis fueras, tibi thuris honores
Obtulit ara quidem libera, Numen eras.
Insanire senex penitus vis Improbe, regnum,
Regnum inhias, Romæ nescius esse virum
Vltorem Patriæ ingentem, cui fortia corda,
In Regum & fuerant arma parata latus.
Te furor & mala mens, non te frustrata Sibilla est
Abdita fata canens: Tu malus Augur eras.
Divorum mentem melius patefecit Aruspex,
Cùm vidit cæsum bis sine corde bovem.
Dixerat ille, cave, male bos portendit: at ipse
Ad regnum spretâ Relligione volas.

Et

Et feret hæc Brutus priscæ memor ille securis?
Ah venit sacris idibus alma dies.
Pompei Manes placandi cæde Tyranni,
Cæsar, ad illius perfide, busta cades.
O divina manus, mens o divinior, ausa est
Quæ tantam e Roma avertere perniciem!
O te utinam geminâ vidisset cæde madentem
Patria, collegamque interiisse simul!
Non heu servili cecidisses Brute Philippis
Vulnere, libertas quo pereunte perit.
Porcia non avidis traxisset faucibus ignem,
Porcia digna viro, digna Catone patre:
Nec Tulli interitum plorasset squallidu Cœlo
Pallas, & injusto multa minata Jovi:
Nec triplices perpessa fores tu Roma Tyrannos,
Quæque tot ex uno fonte fuere mala.

ELEGIA II.

TUne igitur rerum Regina pecunia victrix?
Et potis arbitrio es volvere cuncta tuo?
Tu prior ausa bonas naturæ rumpere leges,
Et per te sceleri semper aperta via est.
Navita te propter fluctus horrere minaces
Cogitur, & multos quos tegit unda dolos:
Tu gladios, tu prima tubas, tu funebre bellum,
Egregiisque tulisti Urbibus interitum,
Tu, scelerata, bonos uni servire Tyranno
Cogis, & indigno subdere colla jugo.
Ah pereat quicunque Epiri Rege subacto,
Auctor cudendæ primus in Urbe tui.
Ille etiam pereat qui nec jacuisse sepultam
Te diram pestem perniciemque vetat.

 O uti-

O utinam Tellus aurum, lapidesque nitentes
Sat clausos posses continuisse sinu,
Et nulli monstrare vias, cœcasque latebras,
Plurima queis nasci lucida gemma solet.
Legifer o sapiens semper celebrande Lycurge,
Te felix olim Principe Sparta fuit:
Quòd non argentum, scelerosum aut noverat aurum.
Hinc Urbi fuerant omnia nata bona.
O utinam prisco gaudenti Martia ferro
Nemo tibi ex Asiá Roma tulisset opes!
Non libertatem voluisses vendere, Cæsar
Optasset capiti nec diadema suo.
Tu quoque, qui pelagus regis o Neptune profundum,
Cur bona cuncta sinis divitiasque rapi?
Cur & cœruleis e crinibus Amphitrites
Auferri innumeras cernis inultus opes?
Conjugis heu nudum pectus Neptune lapillis
Et nudum conchis, tune videre potes?
Divitias defende tuas: ulciscere fures,
Dispereatque rapax naufraga turba mari.
Caussa rapina fuit Venerem læsisse veneno,
Et prima humanas frangere delicias,
Effera longinquas gens cum perrexit in oras;
Unde hæc venit pro divite merce lues.
Discite, Formosæ, precium contemnere, & aurum:
Hauc aurum pestem perniciemque tulit.
Ingenium & mores, sine pondere divitis auri,
Vos capiant citharæ, vos capiantque lyræ.
Efficiat virtus, si fas est, una beatos
Iuppiter, o gemmarum omne genus pereat.
Quid tibi vota feram? tibi primum Juppiter auro
Acrisii æratæ tunc patuere fores.
Tunc primum pulcræ didicerunt vendere amorem,
Et patuit solis janua divitibus.

Pa-

Pace tuâ Italicas redeat Saturnus in oras;
Pace tuâ sceptrum, Juppiter, ille gerat.
Per te venere ærumnæ venere pericla;
Astræa humanos deseruitque focos.
Hinc domus & postes, & clavim janua sensit,
Protegit, & multo rusticus arva cane.
Fœmina & hinc fraudes, atque auro vendere formam,
Et didicit multâ decipere arte viros.

ELEGIA III.

TOlle decus Patriæ, vitâ mihi carior ipsa;
Et mihi magnanimis cognite major avis
Te modo, ni sævis arderent pectora flammis
Non humili vellem concinnasse lyrâ,
Qui potis effrænes animi compescere motus,
Obvius, & cui sit semper inermis amor.
Pulcrius est multo violento obsistere amori,
Quam spolia e victis posse referre domum.
Delia subripuit mihi me: jacit impia tela,
Tristibus hinc elegis causa proterva Venus.
Jam seu nos Indos adeamus, sive Britannos,
Illuc nos etiam persequeretur Amor.
Per mare, per terras, ipsumque per aera regnat,
Concutit & nutu Solis utramque domum.
Saxea si mihi mens, si sint mihi saxea corda,
Saxea si mihi sint lamina, abibit amor.
Sic te posthabito dici mihi Deliam oportet,
Quæ miserum nutu me regit una suo.
Diruta cum Pallas sibi condita mœnia vidit,
Parthenope cytharas ingeniumque dedit,
Transtulit & Musas istuc, artemque canendi,
Aoniamque umbram, pieriosque lacus.

Quos fert egregios vates te Patria felix
Concelebrent, sine me dicere fata mea.
Nec datur heroi mihi pergere fontis ad undas,
Ennius admorat quo pater ora prior,
Et quo Virgilius contendere noster Homaro
Ausus; ego ex humili tempora fronde tegam.
Nec mihi fas Nerio quod vellem condere carmen,
Quo semper tumidus Tibris, & Arnus erit.
Æquora Neptunum, cœlestia regna Tonantem,
Tartara Plutonem deseruisse ferunt,
Juppiter, & pennas, & tauri cornua sumsit,
Pallidus ut facie Virginis incaluit.
Nonne ministerium, lucis qui stringit habenas
Liquit, & is Daphnim nonne secutus erat?
In viridem quamvis vertatur Delia laurum,
Illa mihi laurus deperienda foret.
Interpres animi vox est: ubi pectore cura
Fervet in ardenti, num siluisse potes?
Num fas est alio mendacem vertere mentem
Protinus, & doctas surgere in Iliadas?
Uritur illa nihil, dominæ nam lumina flammæ
Sunt mihi, sunt illi lumina nostra nives.
Non ego suspirans, non flens queo flectere amorem:
Sæva Venus, sæva est Delia, sævus Amor.
Mille in amore faces, sunt mille in amore dolores,
Caussæ mille adsunt unde perire velis.
Et sunt unde velis nunquam discedere vitâ,
Atque in perpetuo ducere amore dies.
Ille facit cæcos cæcus Deus asper amantes,
Ac pæne humanum desipere omne genus.
Tu qui nec Veneris telis latus obdis apertum,
Et potuisti animum arcere cupidinibus:
Qui potes Euripidis Sophoclisque æquare coturnos,
Tu Regum insidias, vel benefacta canas.

ELE-

ELEGIA IV.

NOn Veneris cordi, non sunt mihi signa Lacænæ,
Quascunque, & formas prædicet historia,
Quasve Heroinas extollit Græcia mendax,
Formarumque magis romula terra ferax.
Delia jam nostras pingatur sola per ædes.
Hæc unum, paries, sit tibi forma decus.
Huc modo Praxiteles, unàque accedat Apelles:
Alter, & hoc fingat, pingat & alter opus.
Et valeant dominæ tales mihi ducere vultus,
Vt stupeat quovis tempore posteritas.
Et quicunque meæ prospexerit ora Puellæ:
Dixerit: hæc tua sunt o simulacra Venus.
Et nunc auratos splendescere Roma capillos,
Et nunc miretur vincere colla nives.
Lux mea, nulla potest tam pulcros fingere vultus,
Nulla potest gestus pingere docta manus,
Solum Pierides, cytharâ te Delius aurea
Solus & ipse Parens te retulisse lyræ.
At quantum poterit te jam mea Musa referre
Audebit teneris Delia carminibus.
Sat tu pierio celebrabere, Vita, labore,
Invidiaque tuum Delia nomen erit.
Hæccine rugosâ tabescet forma senecta?
Hei mihi, & iste sinus pulvis inanis erit?
Nostra renascetur non ullo Delia saeclo?
Cur anni fugitis, cur rapis hora diem?
Juppiter, hæc uno plus sæclo forma puellæ
Duret, & hinc abeat dira senecta procul.
Plus uno, & vigeat sæclo mihi læta juventa.
Quod potes, hic longo tempore duret Amor

Hac tamen abstineas jam tu caluisse protervus,
Ne tecum irasci maxima Juno velit.
Maxima Cælicolum, servandæ Virginis ergo
Centeno apponas lumine Aristoridem.
Tu quodcunque dabunt vitæ tibi Delia fata,
Vive mihi: vivam tantum ego, Cara, tibi.
Quis fatum avertat? nulla est revocabilis arte
Fugit ut extincto corpore vita semel.
Non revocat Syringa suam Pan lucis ad auras,
Non Orpheus caram cantibus Euridicem.
Non phrygium puerum Berecinthia subtrahit Orco
Pallenti, lacrimis perdita mater Atym.
Non Cyparissus, Amor Phœbi, revocatur ad auras.
Non Daphne. Ditem flectere Apollo nequit.

ELEGIA V.

NOx erat, & puro fulgebant Sydera Cœlo,
Et sopor, & membris siderat alta quies.
Quum mea fallaci decepit pectora visa
Impia me somnus fata timere jubens.
Lux mea, ridentes florum studiosa per hortos
Dum legeres teneris lilia tu manibus:
Nuncius ille Jovis, cui fulminis esse ministrum,
Cui dedit imperium Juppiter in volucres,
Postquam subripuit Ganimedem vertice ab Ida,
Hebe cum fuerat pulsa ministerio:
Idem te rapuit pedibus Jovis armiger uncis
En altis labens, hei mihi, syderibus.
Crinibus abreptam te fulminis ocyor alis
Protinus in campos sustulit aerios.
Ibas (horresco referens) super æquora, Cœli
Delia flens teneris anxia luminibus:

Heu

Heu quo prensa feror? quis te furor occupat ales?
Inquis, io miseram quis manet interitus?
Improba, non aliam poteras fecisse rapinam?
Sanguinis an nostri sola libido tibi est?
Parce precor flenti, flenti fera parce volucris,
Meque velis patrio restituisse solo.
Attamen illa fugit, Cœli secat ocyor auras
Surda tibi, omnivolo paret iniqua Jovi.
Europa ut ludens Tauro latus alba doloso
Credidit, & fluctus horruit æquoreos.
Horruit & furias, & dira sonantia Ditis
Flumina, at a magno vecta Tonante fuit:
Sic tu par fato, formâ sed dignior, a qua
Delia Terra omnis nominitanda foret,
Æthera singultu reples, cœlestia fletu
Obruta in auxilium Numina surda vocas,
Juppiter ab tandem miseræ miserere puellæ
Dicis flens, & eras præda futura Jovis.
Clamo ego, nocturno tacuerunt omnia cœlo,
Cunctque Tartareis mersa silent tenebris.
Nunc mihi tu Veneris visa es consistere in astro,
Nunc mihi Mavortis visa petisse globum.
Demum, Vita, Jovis sub sydere conderis almo.
Me miserum! & nostris aufugis ex oculis.
Carpere iter Cœlo voluissem Delia pernix,
Tectaque ego alarum vi petere alma Jovis!
Sed nusquam auxilium: spernunt mea vota tenebræ.
Ipse ipse heu prædæ Juppiter auctor erat.
Pertæsum Ganimedis ego mea Delia tandem
Credidi, & hanc faciem deperiisse Jovem.
In te odiis incensa videtur maxima Juno,
Et facies illi multa minantis erat.
Hebe iterum exclusâ dum multa in corde volutat,
Tu tamen hærebas ad latus usque Jovis.

Ta-

Talia volvebam domita deliria mente,
Tristis at excussit tristia visa metus.

ELEGIA VI.

ERgo te æternos irarum volvere fluctus;
Et patiar capiti tot maledicta meo?
Quod modo nudato te vidimus ire lacerto,
Ista tui forsan caussa furoris erit?
Non ego: hyperboreis veniens violentus ab oris
Est ausus multâ vi reserare fores
Impius ille Aquilo raptæ memor Orithiæ.
Sic te sublimem jam rapere ausus erat.
Hisce genis inhiabat amans inhiabat ocellis:
Captus et hoc fuerat tam ferus ille sinu,
Senserit ut multas glaciali in pectore flammas,
Senserit & pigras incaluisse nives.
Ætheriasque furens jam te rapuisset in auras,
Ni foribus custos sedulus ipse forem.
Quare ego te abreptam tenui mea Delia amictu
Per liquidas posses ne procul ire vias.
Neve coacta fores perferre aquilonia membra,
Et tua ventosis oscula ferre genis.
Aevumque horrifico cum conjuge degere in antro,
Frigidaque hæmonio furta subire jugo.
Possum ego cum magno contendere, Vita, Camillo:
Crede mihi famâ Manlius alter ego.
Te quia servavi Capitoli Numina ut ille,
Quamquam non ullus nuncius anser erat.
Quid nunc iratis torques tu fulmina ocellis?
Ah iterum Boreas huc rediisse velis,
Ingratamque uro cupias tibi habere puellam.
Compescam vires non ego crede tuas,

Immo

Immo tibi extollam manibus, dorsoque reponam:
Quæ mihi flamma vetus, sit nova præda tibi.
Quid loquor heu demens? si talia Juppiter ausit,
Impune haud faxim Juppiter ipse feret.
At tristes tu pone iras: si vidimus artus
Nudari: patuit non mihi fraude sinus.
Ipsa Venus frustra membris splenderet eburnis,
Si nulli penitus conspicienda forent.
Num membra aut artus oculli furantur avari?
Et si prospicitur forma venusta fugit?

ELEGIA VII.

NOn pluvias Hyades, cladem que minatur Orion,
Nec semper nautas horridus ense petit.
Non semper tristi jaculatur fulmina Cœlo
Juppiter, aut Mavors sanguine fœdat humum.
Nos in perpetuos curarum vertimur orbes.
Fulminat assiduã Delia sævitia.
Intima ad ossa faces semper jacit exoriens Sol,
Nec solis mihi flamma interit unquam obitu.
Delia, desertos sine te fugiemus ad agros.
Pan ades, & nostrum sit tibi cura pecus.
Exiguum defende pecus, tuteris agellum.
Extinguat Veneris rustica vita faces.
Mens mihi jam curas sanare salubribus herbis,
Delia, & ad rivum prætereuntis aquæ
Alituum blandos audire per arva susurros,
Et celeres telis figere sæpe feras:
Nativas ad aquas deducere monte capellas,
Et nostra in Cypri solvere verba Deam.
Lac mihi sit potius distento ex ubere pressum,
Sit potior niveæ caseus albus ovis:

Quam

Quam flammas haurire tuo fera Delia vultu,
Tantaleoque tuas more sitire genas.
Non tamen absistam miseros effundere questus
Najades, & blandas inter Hamadriades:
Incidamque tuos, crudelis Delia, fastus,
Factaque sexcentis impia corticibus.
Ipsæ te Dryades fugient, & Oreades ipsæ:
Delia, vel duris quercubus horror eris.
Pan felix! poteras cito tunc finire dolorem
Cum potuit Sirinx vertier in calamum.
O utinam hæc sævam mansissent fata puellam!
Cum didicit nostris esse superba malis.
Finissent uno tormenta immania fletu.
Quod cito pertransit, crede, malum omne leve est.
Dî facite ex illo discedat corpore forma,
Quæcunque, & nostris vim faciunt oculis.
Efficite ut pulcros torpor gravis occupet artus,
Crescat & in frondes aureola illa coma,
Quo nulli incessu placeat radicibus hærens.
Oraque in arboreum pulcra cacumen eant.
Fulgore ut careant artus, jam cortice duro
Tecta sit, hæc sævam tristia fata decent.
Da Venus hoc nobis, quercus vel facta sit ilex
Illa, vel a regno da procul ire tuo.

ELEGIA VIII.

ILle ego, qui missos summâ de Leucade amantes,
Ille ego qui Sapphus nomen ad astra tuli.
Ille ego, cui magnum debet Veturia nomen,
Quæ nati, & Volscas reppulit Urbe minas.
Qui cecini ejectos Capitolî e vertice Gallos,
Arce suâ audentes præcipitare Jovem:

Ille

Ille tuos idem cecini, fera Delia, fastus:
Per me es venturæ nobilis historiæ.
Aut aliam poteram versu celebrare figuram,
Aut citharâ fortes tollere ad astra Duces.
Scipiades, belli fulmen, Chartaginis horror,
Annibal aut poterat dicier hisce modis,
Ut numeris Romana meis vetus inclita virtus
Floreretque magis gloria Parthenopes.
Quid tu dicta soles præter mihi ferre furorem
Impia, quid tristem præter amaritiem?
Impia, te propter didicerunt hei mihi Parcæ
Ducere ab iratâ tristia fila colu.
Caucaseâ veluti religato in rupe Prometheo,
Æternum volucris corda scelesta vorat,
Et rota uti versat miseros Ixionis artus,
Defletque æternùm vincula Pyrithous:
Sic per te immerito, & nullius conscia culpæ
Cui mens, mi assiduus corda cruentat Amor.
Nec spes effugii; quis sæva Cupidinis arma,
Quis tua dirumpat fortia vincla Venus?
Ut reor, una omnes vincis feritate puellas,
Non ita dura mihi Penthesilæa foret.
Illius e duris cecidissent arma papillis,
Penthesilæa meis victa foret precibus.
Infernæ potius flectetur janitor aulæ,
Flectetur potius portitor ipse Charon.
Ah pereant oculi qui te videre ferocem,
Ah pereant per quos cognita forma fuit.
Dî facite hoc abeant tot nostro e pectore curæ,
Dî facite hoc diro carcere diffugiam.
Jam mihi leucadii tentanda est semita montis,
Perfida, jam abrupto e vertice desiliam
In pelagus: rupes adimet phœbea furorem,
Aut his me vinclis subtrahet interitus.

Vi-

Vidisti assiduo tabescere lumina fletu
Vidisti assidua me gemuisse face.
Vidisti exiles ut sim tenuatus in artus,
Quantus, & obducat luridus ora color.
Quid non vidisti fieres ut mitior? una
Fit tamen heu nostris durior e lacrimis.
Seu Thesei ferrem te propter, sive labores
Herculis, immani corde puella fores:
Horrificas Leaenae potes tibi flectere tigres,
Cogere, & infernum lambere crura canem:
Non tamen hanc Liber posses domuisse puellam,
Tigribus, inferno durior ista cane est.
Dî satius fuerat sumsisse hanc ora leenae,
Et profugas antris ungue petisse feras;
Getulique sibi sociare leonis amorem.
Dî magnum, immani forma venusta malum est.
Perfide Amor, nobis cum stamina frangere Clotho
Audeat, hoc nostro in marmore carmen erit:
Quicunque hac transis: pellaci credere amori
Nolis, nec Veneris credere blanditiis.
Allicit hic primo, dehinc arit, & inde cruentat,
Et postquam infixit vulnera mille necat.

ELEGIA IX.

Cur vis ad patrios, mea vita, redire Penates
Oceanique feras extimuisse minas?
Et tristes Hyades horrere, & Oriona dirum
Anxiaque optatos quaerere Tyndaridas?
Quis tibi subsidio quis erit, mea vita, saluti
Jam tua si pelago naufraga puppis erit?
At fac tuta secet fluctus tibi prora: per undas
Nonne his ardebunt monstra marina genis?

In-

Informes vultus patiere, oculosque minaces,
Quaque sub anguino cortice membra rigent.
Impexamque comam graveolentes Delia villos
Membrorum, & poteris pondera dura pati?
Fac parcant fera monstra tibi, mea Delia, Triton
Semifer in mediis nonne calebit aquis?
Nonne ipse audebit Glaucus conscendere puppim,
A quo Minois candida vecta fuit?
Phorcyn vel phocis Proteus per cærula vectus
Nonne tibi scissa in pectora veste ruent?
Quæ genitrix tibi? Scylla ferox? an dira Charybdis,
Ut sine me vento quolibet ire velis?
Ut nil tu facias syrtes nec monstra, nec undas
Quæque pericla ferox suscitat Oceanus?
Nec facias aliquid fidi suspiria amantis,
Et qui jam nobis imminet interitus.
Ah quam maluerim saturnia sæcla manerent,
Findere quum fluctus non erat ausa ratis.
Nunc non auderes te surdis credere ventis,
Atram nec velles Tu mihi adesse necem.
Cynthia præsidium terræ, laus inclyta Cœli
Alma soror Phœbi Diva triformis ades.
Hæc parat infidam sine me conscendere navim:
Nunc opus est magico diva ministerio.
E cœlo pluviasque voces ignesque nivesque:
Per pelagus nare horrentia monstra jube,
Quassarique rates, fluctusque assurgere Cœlo.
Terra aer cœlum perneget æquor iter,
Ne celeri velit illa fuga nos perdere: sive
Illa suis oculis hæc mala dispulerit.
Et mare inhorrescens vultu placarit eburno:
Fac mihi amore novo jam vetus absit amor.
Tecum habitare viros, & tecum fama puellas,
Teque tuas silvas, & freta habere ferunt,

Et montes rupesque lacusque, & flumina, & antra,
Quidquid, & in terra est Cynthia quam sequeris
Ergo & erunt silvisque tuis, & Numina in undis.
Et tibi erunt Dryades, & tibi Hamadriades.
Fac cito sim tecum, cito me super æthera tollas,
Et permitte tuos concelebrare lares.
Quæque tibi gentes, quæ sint tibi, Luna, Puellæ,
Quæ tibi sint artes edocuisse velis:
Naturæ leges, formam motusque, locosque,
Mores, jura viros, æquora, regna, plagas.
Denique quum vestri lustravi Syderis oras,
Et didici vestris pandere sensa sonis.
Tunc Nymphā mihi quære tuam, mihi quære venustā
Ardorique novo dextera cantet avis.
Nec tua ter quinos fac Nympha repleverit annos,
Sit vultu roseo, flava sit illa comis.
Quascunque, & superet terræ nova Delia formas,
Vincat, & eoas, vincat & hesperias:
Vt quoties fuero patrias rediturus in oras,
Hærebit lateri quum nova flamma meo:
Delia lunarem cernens præstare puellam
Ingemat, & sævā tabeat invidia.

ELEGIA X.

DElia discessit, patuerunt lintea ventis,
Et sine me indomitis fertur ab æquoribus.
Nunc illi Boreas diverberat undique crines
Frigidus, & teneras sauciat ungue genas.
Non audituræ spernunt suspiria syrtes,
Qualis ab undisono murmure pallor erit.
Nunc tremit illa horrens quū undis afflixerit Auster
Lintea, quum pinus fluctibus icta gemat.

Dj maris, immeritam quamvis servate puellam,
Perfida sit quamvis tuta eat illa ratis.
Tu qui ventorum Pater Æole regna gubernas,
Impellisque rates quo tibi cunque libet,
Impete pulsa tuo mutato tramite pinus
Sit precor in nostras jam reditura plagas.
Heu heu non Aquilo, non Æolus audit amantem,
Et pergit cursus dira carina suos.
Obrue Dori ratem pelago, submerge puellam:
Ah parcas dominae coerula Dori meæ.
O utinam mediis fierem delphinus in undis!
Qualis qui cytharam vexit Arioniam,
Ut possem dorso super imposuisse puellam
Et raptam e volucri nave, referre domum.
Quid loquor infelix? quæ me dementia cœpit
Una salus illâ non redeunte mori est.
Quid jam vita juvet? primo vix flore juventæ
Fac capite hoc stygiæ Jane petantur aquæ.
Horrida per medios fluctus eat umbra, & iniquaę
Palleat aspectu per freta summa suo.
Pæniteatque fugæ externos, & quærere Divos,
Atque sui tandem conscia sit sceleris.
Sive ea Numen erat, Veneris seu fida sacerdos,
Sive huic contulerat regnum Amor omne suum,
Illa immortalem poterat me reddere, & umbra
Nunc ego sum, loquitur nunc vapor ipse meus.
Nunc potes ex humeris Amor ejecisse pharetram,
Ejecisse tuas & Cytherea faces.
Delia vim pharetræque dabat facibusque calorem:
Arma quid hanc umbram nunc petitura geris?
Si cupis ut vires cinis hic animamque resumat,
Pulvere & hoc surgat spiritus ille meus;
Effice Amor reducem possim vidisse puellam:
I precor, & multâ sit reditura prece.

Quod ſi dura Deum ſurdâ neglexerit aure,
Et mea Lux cœptum per freta perget iter;
Arripe iter quocunque velis: me ſolve Cupido:
Pertulerunt noſtræ ſat tua vincla manus.
Laus erit in magnos tua vertere tela Tyrannos,
Non humilem jaculis vincere poſſe tuis.
I precor, aude aliquid, quo mirâ laude triumphes.
I, veteres Urbes dirue, conde novas.
Per te Troja cadat fac troica Roma reſurgat:
Europæque Aſiæque horrida bella move.
Hoſtileſque petant per te Babylona phalanges:
Euphratem ac Nilum cæde rubere velis.
Tu modo parce mihi: Libertas aurea cordi
Perpetuò una meos incole Diva lares,
Eja age Diva veni, valeatque infida Puella
Et Venus, & pectus qui male torquet Amor.



JA-

JANI-BENEDICTI BARBÆ
SERMONUM
LIBER PRIMUS.

SERMO I.

FLacco si credis, medio consistere virtus
Gaudet, & hoc medio si quis deflectat, oportet
Præcipitem extemplo in vitium ruere. Albinovanus
Navita qui quondam, nunc omnes rodere suetus
Dum gestit salsus dici, famamque dicacis
Venatur, salibus consperget cuncta facetus:
Quidquid agit, quidquid ructatur, id omne merum sal.
Nil erit, excutiat modo risum, sollicitus, quod
Prodantur jactata fideles inter amicos,
Gratia scindatur, surgant convicia, rixæ.
Qui lepidus persæpe jocos risusque movebit
Interdum innocue id faciet, modo nec nimis acri
Perstringat morsu quemquam, nec tempore lævo.
At bonus, & sapiens, operæ pretium magis est cui
Quærere quod verum est, veroque libentius uti,
Fallere nec sese semper, nec semper amicos,
Hoc genere abstineat prudens, nec vestiat unquam
Errorem veri specie vultuque decoro.
Contra alius nihilo sapientior, omne quod illi
Incidat in buccam, ructatur garrulus, atque
Importunus amat laudari: cuncta tenere
Doctum hominem credas, sibi sic arridet ineptus;

Et plausus e rebus captat anilibus; aures
Subſtringes, perget, tumidamque inflatus in utrem,
Quærentem misere diſcedere conficit uſque.
Is mihi, famâ hominis permoto, avidoque doceri
Occurrit: capite obſtipo dum ex ore loquentis
Pendeo, ſic ille: antiquo quam diſtat ab ævo
Peſſima nunc ætas! eheu jam Tullus & Ancus
Interiere boni! nec jam referent nova ſæcla
Publicolas, Curioſque mares, forteſque Camillos,
Illuſtres animas: tibi quidnam Tullius? hercle
Orator vehemens magnuſque: at quam vafer ille
Cæſar! cui longe ceſſit Pompejus in armis.
Sed magis hic frugi: fateor: ſi tempore in illo
Natus ego! forſan magnis legionibus horum
Imperitaſſes? neſcio, verum quæ eſt mea virtus,
Haud mihi deeſſem: quandoquidem infelicibus hiſce
Temporibus, virtuti eſt parvo limite campus,
Nec potis eſt quiſquam vires oſtendere mentis.
Mirum quam ſapias! verum hæc ſat nota, mihi adde
His majora, quibus mea creſcere craſſa Minerva
Poſſit: tum ille: velis tantummodo, doctus abibis.
Novit enim obſcuras naturæ expromere cauſſas
Me melius nemo, neque erit qui audacius unquam
Poſſit divinæ evulgare Matheſeos artem.
Angulus obtuſus qui ſit, rectuſque, & acutus,
Qui ſinus & tangens his ſphæram atque adjice conum.
Talia dicentem, ac plura effutire minantem
Continuo quidam interpellare: o bone, tecum
Eſt aliquid, dixiſſe palam quod forte pigeret:
Audi ſodes; tum ille abiens mihi jam vale dixit:
Des veniam, nam nos alio nunc magna vocat res;
Conveniam deinceps ſi quid conceditur oti.
Quid facias homini qui ſic inſanit? abire
Antyciram jubeas, modo ſi purgare cerebrum,

Cui

Cui male tam fervet potis eſt : nam cuncta docendi
Quos ubicunque tenet rabies, ac dira libido
Odere hi medicos, meliori & credere nolunt.
Huic ſimilis Catulus, thuſco deducere plectro
Cui non Muſa neget carmen: ſi noſcere fines
Ingenii queat ille ſui, laudandus, at illum
Pugnandi nuper cepit dementia, cum quo
Nemo auſus certare Sopho: ſummone Platoni
Se putet eſſe parem? diſrupta eſt corpore magnum
Rana imitata bovem: quod ſi hac formidine cautus,
Qua valeant vires humeris onus adderet, & qua
Suadeat ingenium, tantum illuc vergeret, inter
Jam poſſet doctos non inconcinnus haberi.
Archontem cui forte mero delira foret mens,
Maximus ille Solon capitis damnabat Athenis.
Auſtere dicas, tamen haud ſine conſilio, nam
Cum bibis immanes cyathos, poſt pocula quamvis
Non tu, ſed præceps Bacchus ſcelus afferat omne;
In culpa tamen eſt, ſibi qui deliria quærit.
Non huic abſimilis vitio cenſenda videtur
Ebrietas mentis: quid enim? vis effera Bacchi
Te inſanum rapiat, quæcunque aut cauſſa furoris
Cœcum agat in præceps, una eſt dementia ſemper.
Pauperiem Barrus pejorem crimine cenſet,
Hinc & compoſitis metuens miſer abſtinet uti,
Semper egens ne egeat, non audet pellere frigus,
Non menſam exornare niſi ovo, & duplice ficu
Ne nimio fundus ſumptu rodatur & arca.
Alter ne dicatur egens profuſus in omnes
Procurrit ſumptus: ſcorta huic duodena, popinæ
Quot ſaltem poſſent legionem paſcere: quin rem
Oblimant penitus ſervi, vappæ balatrones
Hærentes lateri, corio veluti canis uncto.
Sic dum pauperiem, fugere & vult nomen egeni,

Hoc agit, ut semper proprius accedat ad ipsam
Vilem pauperiem, sed multis millibus emtam.
Quid furere est igitur? nimium ni inflata libido
Qua vergat cumque: insanus tu propter amores
Diceris, cruciet pravo te si Venus igne.
Idem, congesto vigiles si pallidus auro.
Ambitione, idem fies. Scelera omnia in orbem
E nimia fluxere cupidine: mille furores
Virtutes possunt ipsæ, si invertimus usum,
Injicere incautis, prudens ni temperet intus
Effrenes animi motus ratio. bene Flaccus:
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

SERMO II.

Est tam hominum quoddã genus, Albi, naris acutæ,
Vincere ut hos non ulla valeret odora canum vis.
Si tu scire velis Evandri balnea, furnos,
Et Pallantis ubi domus, & cujas lupa, norunt
Ubera quæ admorat vix nato grata Quirino.
Scire cupis matula, quâ Romulus usus? odorant
Huc illuc magnis cursantes naribus, atque
Repperiunt matulam, in quã minxerat ipse Quirinus.
Quod si tu addubites; iræ extemplo capitales,
Credere oportet enim quidquid delirat acumen,
Et licet invitum: credam ut libet, amplius illi
His nugis modo ne obtundant: quid Romulus egit
Mi sat erit novisse, lupæ patriamque genusque
Ignoro ipse lubens, seu Tiburs, sive Sabina.
Ex veterum Historiis solum hæc decerpere curant,
Attinguntque Jovis solium, sat scire videri
Insanos inter si possint, quo vafer ille

Sysi-

Syſiphus ære pedes laviſſet, qua bonus Ancus
Ollâ decoqueret caules: his cætera nugæ.
Ruderibus ſtuduit tantum, inſenuitque cavernis,
Seque his admiratur, amat noſter Damaſippus.
Quæcunque ignorat, (quæ multa & maxima), ridet
In triviis ridendus homo: ſi forte puellæ
Trans tyberim natæ, quæ nec quo ſit patre novit,
Verba facit: ſubito: Lucretia concidit illic,
Illic Virginia interfecta ob flagitium Appj,
Concitaque hac furiis carpentum Tullia duxit
Per patris oſſa: fuere hic Jani templa bifrontis,
Clauſa bonas paces, & aperta ferentia bellum.
Colle in Aventino nuper manus obruta glebis
Marmorea inventa eſt. Damaſippus lætus ovanſque
Currit, ut extemplo viſat, viſam veneratur,
Et mentem in trunco defigens ſaxo, oculiſque
Jam vitro admoto, & contractâ fronte ſuperbus:
Iſtane Aventino ſub monte eſt eruta? certe,
Certe, inquit, tua diſpeream ni dextera Juno eſt,
Hìc tibi namque olim, ſtatuerunt templa Quirites,
Deletis Veiis: monimentum emit ille beatus
Quanti, ſi ſaperet, ventrem placaret in annum.
Nunc eget Hiſtoriæ Pater, effertumque fame non
Latrantem potis eſt ſtomachum compeſcere: tritis
Veſtibus, atque horret vultu deſerta vetuſtas.
Neglectus vivis, Manes tantum ille ſepultos
Curat, & his tantum ſe ſe veneratur amatque.
Omnia converſa in lapides: quid? venderet ille
Se potius, quam vel digitum caudamque Priapi.
Junonis buſtum, & pulcrâ Venerem quoque pyga,
Ipſum venderem & ipſe Jovem jam pro digito uno
Viventis formæ: at magni clarique fuerunt
Quorum ſigna vides: quid tum? ſi facta putaſti
Quid tibi opus ſtatuis? mores ego Socratis aureos,

 Vir-

Virtutem mallem potius, quam ſigna Catonis.
Nam quid Pompejus, quid calvus in ædibus unquam
Profuerit Cæſar? num ſi quam tu incipias rem,
Grandem, perplexam, Cæſar tibi conſulet ille?
An tibi Pompejus? quis eorum, ſi malus error
Cæcum agat in præceps commoſtret iter? quis eorum
Si invidia, vel amore vigil torquebere, demet
Ex animo morbos? ſapientum volvere chartas
Eſt operæ pretium recte, valeantque ſigilla,
Et veterum ſtatuæ quarum tam vaſta libido eſt.
Ingentis ſigno ſi animus foret ipſe Catonis,
Nonne puderet eum ſub eodem vivere tecto,
Quo tu vivis iners tibi mancus, inutilis Urbi?
Omnia, ſi ſaperent, diſcedere ſigna videres.
Olim cum quendam locupletem inviſeret hoſpes,
Et ſermone ultro citroque habito, ſpuere ille
Vellet, ſe huc illuc vertens, ubi deſpueret non
Inveniebat, ita omnia plena nitore micabant,
Plenaque erant ſignis:hoſpes poſtquam hæſerat,ipſum
Deſpuit in dominum: Dominus quid Peſſime? num tu
Inſanis? non hercle ubi deſpuerem aptior ullus
Eſſe locus poterat: nil pejus in ædibus eſt te.
Muri exornantur, laqueataque templa refulgent,
Calcamuſque ſolum tibi quod te oſtendat eunti.
E ſpeculo in ſpeculum tranſit geminata ſupellex,
Et varii Heroum vultus: ſi reddier ipſo
Ipſæ animi ſordes ſpeculorum ex æquore poſſent,
Quot citius ſaperent? Longe vectantur ab Indis
Vaſcula, commutata auri vi, forſitan ut ſit
Quæ ſi deciderint, vilem redigantur ad aſſem.
Ut ſapias ſapientis opem nec quærere librum
Audes? & vitæ vivis minus aptus in horas?
Rerum inter vanos æſtus mors occupat, ante
Quam poſſis recte rationem noſcere vitæ.

Vi-

Vivere recte Albi posses, si pessima non te
Perderet ambitio: duo sunt quæ reddere possunt
Liberum & erectum: nullâ pallescere culpâ
Ne sons plectare, & nulli servire, nisi uni
Mente sibi rectâ; fregisse fidem prior ipsa,
Quam Reges, vetuit ratio, servareque pacta
Nos prior hæc docuit, quâ sunt nata omnia jura.
Ipsa igitur ratio una est libertatis origo.
Dum cupis ac metuis, nullâ ratione modoque
Esse potes liber: qui caussa cupidinis, atque
Qui tibi caussa metus, herus est tibi. Tu ut facias rem
Et cupis & metuis: tibi res ergo imperat Albi.
Adde quod & saperes minus, & minus esse beatus
Posses, si quodcunque inhias det Juppiter uni,
Nec tibi tantundem tribuat rationis avarus.
Namque ubi defecit spes ulteriora petendi, aut
Allecti illecebris torpemus inaniter otî,
Aut ruit in vitium frænis natura remotis.
Si tauri vires addas, & cornua asello
Protinus hic feriet cornu improbus: adde columbis
Ungues atque Aquilæ vires, petet ungue columba.
Dî recte quodcunque est fecere: optima rerum
Hæc facies, hic est rerum pulcherrimus ordo.
Si rerum caussas omnes natura doceret,
Nusquam esset vitium: terram cur findat aratro
Bos piger ignorat, pistrino nescit asellus,
Cur tot cogatur renovare laboribus orbes.
Sic qui congeriem caussarum ignorat, oportet
Nolle hunc naturæ occultas reprehendere leges.

SERMO III.

Multum equidē lætor, quod dulcis epiſtola tandē
Abs te venit,& eſt,quod valde gaudeam in illā,
Nam placeo tibi, nam ſincero laudor amico,
Eloquio qui laudatur, comique Minervâ.
Quod ſcribis gelidis horrere aquilonibus agros,
Arbia quos alpina rigat, glacieſque coercet:
Sunt nemora, & colles, ſunt ligna & vina, quibus Tu
Frigoraque, & contractæ ſolvas ſeria frontis,
Inter fraternos complexus inter amores;
Bandiniique ſales inter Sylviqne lepores.
Deſine opes tandem mirari, & inania Romæ.
Mœnia num capiunt, num magna palacia? num te
Ambitus oblectat, populuſque frequentior Urbis?
Millia quid capitum proſunt, ubi tu nequeas tres,
Aut quatuor numerare fideles atque probatos?
Quin hic ambitio junctos disjungit amicos:
Multi, & idem optantes lacerant ſe triſtibus armis,
Invidiâque doloque, & acuto dente, canes ut
Jejuni hærentes uni plures corio acres.
Ergo quid refert vaſtâ te vivere in Urbe?
Millia quid capitum tot cernere? maxima quorum
Te pars, aut odit, vel negligit, aut petit ultro?
Verruciſque tuis nil æqua pepercerit? immo
Sibilet abſenti, preſenti arrideat hoſtis.
Viverem uti privatus ego, atque ignotus in Urbe,
Reſpondes. Urbes loca ſunt deſerta ſibi uni
Viventi, ſatiuſque in Aricia, in aere puro
Vixiſse, aut ubi ſis aliquid. Jam ferre caballi
Si duo te poterant, cur circumferrier ipſe
Si nequeas ſeptem, ſuſpires pallidus, atque

In-

Invideas plures pascenti? linque puellis
Suspicere, inque videre aurum, mitrasque alienas.
Strenua nos exercet inertia: vivere in Urbe
Contempti volumus; sperantes maxima, egemus,
Et nos deficiunt quæ commoda tot patrius Lar
Suppeditet nobis: nebulas fædeque fluentem
Ingratum aspicimus Tyberim sine re, & sine honore.
Cur non te oblectet Patria? o si ego degere Senis,
Et tecum possem, quis me felicior alter?
Ut fugerem ipse lubens lutulentę incommoda Romæ!
Quæ me cum dulci excepisti villula amico
Quando ego te aspiciam! te certe semper amabo
Arbia, formosis semper celebranda Puellis.
Est ubi curarum obrepant oblivia, risus
Est ubi plus vigeantque joci? est ubi sis mage liber?
Virtutique queas, tibi soli, & vivere? nullum
Istic pronus humi venerabere: nullus in aula
Stabis, ut oraclum expectes metuasque repulsam.
Sive velis aliquem post hæc invisere amicum
Intervalla obeas immensa, atque ilia ducas.
Non hæc sunt certe Senis incommoda, plures
Invenies, nec tu plateis laslabere longis.
Præterea non Baccho, non Musis mage tellus
Hospita, quam colles circum fontesque salubres
Exilarantque viri comes, doctæque Puellæ
Non falsi mores istic, cœtusque molesti,
Non vultus fatuâ tristes gravitate venenant
Pacem animi, & non ambitiosæ gaudia vitæ.
Orgia quam tecum genialia cernere Senis
Optarem plateaque cavâ certamina Bacchi
Gaudentis pugnis; non me furor ille cieret
In medium, spectare loco securus ab alto
Vellem confertas acies, ictusque Cosatj
Enceladum referentis centimanumque Gygantem.

Præterea scribas, rubra an pars vicerit alba;
Et qui Nobilium dentes vomuere cruentos,
Quid rerũ ipse geram rogitas?me mense Decembri
Pollicitum librum, & Martis venisse calendas,
Et nondum versus potuisse absolvere rides,
Carmina romanas quod nulla latina puellas
Delectent, ut ais: non hæc me caussa profecto
Officiis mancum prope reddit: Cerberus ille,
Aversusque mihi, nostrisque aversus amicis,
Is facit ut dubiæ fluitem spe pendulus horæ,
Is facit, ut sileant elegi satyræque jocosæ.
Judiciumque vetat vulgi quoque scribere, namque
Carmina non assis faciunt; his adde caninos
Quos acuunt multi in quæcunque poemata dentes.
Hæ remorantur opus curæ vinclisque coercent.
Non sum qualis eram: decisis Nycia pennis
Ut me dimisit vacuum, dixi vale Amori.
Nemo larvatum larvatas inter amicas
Flaminiam isse redisse viam me aspexit, & inter
Insanos Nebulones, & turpes Catamitos
Perdere non seris tempus revocabile votis.
Quam multi cum sperarent ingentia ab Urbe,
Formosas Cynaras, & bacchanalia propter,
Cum decoxissent, abierunt re male gestâ,
Pallidulisque genis, rosit quas gallica pestis.
Num sim adeo vecors, tanta ut mercede velim harum
Servitium, infamesque dolos perferre, patique?
Cum mala delicias corrumpit avarities, &
Tantum venales prostant ad munus amicæ?
Qui se se immunem Cynaræ placuisse rapaci
Jactarat Flaccus, nostro si viveret ævo:
Aut hunc perpetuò deserta & inhospità tesqua
Ruri accepissent, aut quotquot divitiis hunc
Mæcenas cumularat, haberet Nycia fallax.

Ni

Ni bene parta patrum fiant anademata mitræ.
Atque auro intextæ pallæ, nitidique smaragdi,
Incedantque tuis indutæ censibus, actum est;
Exclusus fore tu ridebere: pistor at intus
Nummatus suspiria vindicat, & sibi amorem,
Donec emat vestes, conopea stragula, lectos,
Picturas, aulæa, parentem alat, atque sorores,
Conducatque suo ære domum, formosus haberi
Vir bonus ac frugi poterit; sumtus facere idem
Si cesset, nequam, sceleratus, perditus idem
Extemplo fiet: tam vafras, tamque voraces
Atque superbas non alia ulla unquam feret ora.
Filia fartoris, gressu Junonio & aurea
In solea, at vili tritaque in veste, Tetrarchis
Se dignam retur quod sanguine creta Quiritum est.
At tu blanditias, qui nosti callidus, ante
Quam laqueo captus probroso, fabula vulgi
Omnia ridentis fieres, & damna juventæ
Sentires male sanæ, multo fortunatior es, nam
Felix est, discit quicunque malis alienis
Posse carere suis. Si quando & nactus amicum
Quem prava ambitio ad famosæ mœnia Romæ
Turgentem rapiat spe multâ: hoc illius unum
Præceptum auriculis instilles: disce puellas
Romanas prædâ gaudentes, & fugere atrum
Quod Romæ persæpe latet sub melle venenum.

SERMO IV.

ERgone perpetuo tam pallet purpuræ amore
Clodius ut præter misere nil somniet ostrum?
Hæc quoque,& insomnem vexant male somnia mentē.
Huic quod divinus puero sic dixerat olim,

Par-

Parvule macte animo; tua ni te sydera fallant,
Ni mea me fallat doctrina, & Juppiter ipse,
Magnus eris, Clodi: simulac duraverit ætas
Membra animumque, petas fortunæ filius Urbem.
Hinc ut grammaticæ studuit, dicti memor hujus,
Arrepto patris ille caballo tendit ad Urbem,
Consieri hæc credens, bysso hinc sine vivere posse
Se negat, audacterque audet jurare futurum.
Nemo adeo emunctæ naris, non doctior alter
Nemo illo est alter generosior, & magis ostro
Dignus: deduxisse genus vult ipso ab Iulo.
Quis pater at nemo rescivit: patria qualis
Flacco dicta videtur Aricia. Se sapere unum
Unus ut extensam sese inflaturus in utrem:
Plebejos omnes, nil sanos autumat omnes.
Ni se præcipitem tecto dabit iste, vel imum
Jam ruet in Tyberim, bis centum & vixerit annos;
Hic ut opinor erit quod vult, jurare quod audet.
Quod videt, a merâ spem nunc longissime abesse,
Fallacemque timet vatem, delirus & excors
Mœstitiæ nescit, nescit moderarier iræ,
Omnia nam præter byssum fastidit, & odit.
Sed nec eget, nec deficiunt hunc commoda vitæ.
Men vis contentum mediocribus hisce? popelli
Prædicet hæc aliquis, magni qui nolit haberi,
Aut animi aut mentis: parvo liceat tibi parvo
Vivere, dum magnis taceas de rebus inepte.
Tu quem nec byssus, bysso nec proxima vestis
Contegit, ecquid eris? quanquam sapientia, virtus,
Et suaves tibi sint mores, nummique fruendique
His artem dederint Superi tibi; non datur inter
Si septemdenos locus, ut vult Clodius, alga es
Infelix Albi, patriæque tibique pudori?
Ecquis nam ignorat quanta hunc amentia verset?
Ibit

Ibit eò quo scis sanandus compede duro,
Trans Tyberim, paulo plus lædatur cerebri illi,
Si fibra insanè tyrios mirata colores.
Sunt magni hi magnisque viris debentur honores;
Sed non divitibus contingunt gaudia solis.
Quid? datum erit solis sapientibus esse Tetrarchis?
Anne Hominum cum præsidio sapientia Cœlo
Dilapsa est, dignata domos habitare potentum
Et bysso ornatos tantum fecisse beatos?
Et reliquos misere jussit traducere vitam?
Immo magis sapient misera ambitione carentes,
Et vitæ poterunt melius vitare dolores.
Sit desideriis quædam jam meta: libido
Plus inhiat, potis est quam ex re decerpere fructus
Et cupido semper desunt majora; Tetrarca
Fac sis tu ex humili, possis Regnoque potiri.
Nunquid posse putas permenso tempore vitæ
Cedere uti conviva satur, pleneque beatus?
Ut septemdenos numeretur Clodius inter
Quæ non perperitur? suspiria pervigil omni
Ducit nocte, neget primorum si quis amicus
Officium, extemplo pallet mutatque colorem:
Quis Procerum dictis minime si arriserit ejus:
Non se adeo furiis amens cruciarit Orestes,
Atque hic se cruciat quavis delirus in hora.
Dis ille invitis magnis placuisse Viris vult,
Nam male scurratur, male verba cadentia tollit,
Personas & mille gerit, nullamque decore.
Sexcenta hic aperit annosa volumina legum,
Ut quisque hæc videat nullum vult claudier unquam.
Cum loquitur nescit quid distent æra lupinis:
Mentiri semper semper servire coactus,
It redit ad Proceres sudans neque proficit hilum,
Et stulte vafrum pueri ridentque puellæ.

Te

Te ſapere, & poterit facere, & ſervare beatum,
Non color ille quidem tyrius, non ſceptra, nec audax
Ad latus incedat ſi miles plurimus, atque
Fortia bella pares tu gentibus ipſe propinquis,
Si curæ invadant animum virtute carentem.
Nonne & Servorum exagitant deliria Reges?
Te mage nonne timent? cur mille ſecuribus illi
Stipati incedunt? quavis tu pergis inermis.
Evelle ex animo vitiorum ſemina curas,
Dein bene purgatum, virtutibus imbue pectus
Incipe dein ſolers meditari ac quærere verum.
Cum magis ipſe aliis videas rectum idque ſequaris
Tunc aliis poteris præſtare & idoneus eſſe
Conſiliis patriæ; patriæ nos naſcimur omnes.
At ſi deficiant, deſiſte hæc quærere vires
Ne ſis cauſſa necis medicus minime bonus ægro.
Auguſtus moriens, partes recte ſi ego geſſi
Plaudite vos manibus, namque acta eſt fabula dixit.
Qui bene nec poſſet partes gerere Avidienus
Sutoris, vellet jam putida condere jura, &
Permutare novis correctam legibus Urbem.
Deſidiaque, & amore cupis luſtriſque perire,
Indecore & nugis ſterilem tranſire juventam,
Artibus imbutum nullis cum ſerior ætas
Ingruit, indignum res auctet publica honore?
O juvenes, juvenes errorum pellite cauſſas,
Ne aut male vixiſſe aut fruſtra vos arguat ipſa
Mens animi: nam nullus erit rediturus ab Orco
Ut melior fiat, malefacta & corrigat olim.
Nulla dies videat vos vobis vivere inertes,
Atque animi ſine culturâ: cum lectulus, & vos
Porticus excepit, voſmet reprehendite, ſi quid
Factis, dictiſque erraſtis: vos poſtera cum lux
Exoritur, videat meliores: jam Nebulonum

Omne

Omne genus fugite: Avidienum, ipſumque Perillum,
Albinovanum, & Agatoclem, vanumque Cetegum:
Et qui Lebnitî in *Monades*, primordia rerum
Jurat, & *Armoniâ* armatus propugnat, & idem,
Nuper Carteſî, nuper præcepta beatus
Ad Cœlum extulerat Locki rumore ſecundo.
Gallica veſtitum veluti gens mutat in horas,
Sic levis ille Sophus doctrinam. Haud hoc ego ritu
Vos ſapere imperito juvenes; fluitantibus undis
Nam doctrinarum nuſquam conſiſtere mentem
Immane eſt vitium. Non certe, veſtrum ego quenquâ
Iſtis cum *Monadis* Patriæ jam profore credam.
Efficite ut Patriam tutari, ornareque veſtro
Conſilio valeatis et arte, excellere vobis
Quâ Dj poſſe dabunt: ſibi Patria ducat honori
Vos ſecum fortes & habere, & paſcere cives.
Nemo adeo vecors, nullis ut deſtinet illum
Muneribus natura potens; quid inutile? fruſtra
Quid moliretur rerum natura creatrix?
Quilibet at cuivis non muneri idoneus: ille
Imperet: hic patiens meliori pareat æquus.
Hic armis patriam, tutetur juribus alter.
Clitellas tardus ſibi dorſo imponat aſellus.
Carcere miſſus equus volucri ferat impete currum,
Clodius inſignes, eſto, ferat Urbis honores.
Aſpicies populi multo jam non ſine riſu,
Ejus & Hiſtorici, verum qui trans crepat Alpes,
Auritum frænis parentem currere aſellum.
 Subſcribi ſtatuis exoptet ſi Pater Urbis,
Aptam formabit ſtudiis ad maxima pubem,
Legibus utetur paucis clariſque, & iis ſit
Sit Plebs Patriciique ſimul parere coacti.
Flagitiis pœnas: virtuti præmia nunquam
Differet: illuſtres ſtatua ſculpantur equeſtri

Cives: cum bene gesserunt quid, gratiæ agantur.
Scilicet hæc teneros animos ad fortia ducunt,
Si aut patriæ consuetudo mala, vel mala, uti fit
Sors dignum flocci faciat, jubeatque potentes
Indignos fieri: sunt & solatia libri.
Te recreet veri species, tibi vive, & amicis.
Te recreent Musæ; mutato nomine prudens
Sermoni propriora placens tibi scribe: juvabis
Sic alios etiam; falso dignoscere verum
Si doceas, vitiumque malo vitare cachinno.
Tullius ut Romæ libertatem interituram
Senserat, aufugiens e tempestatibus Urbis
Scribendo & potuit meditando evellere curas.
Scis quali virtute Cato censorius? olim
Huic quidam Clodj similes dixere: Cato cur
Cur tua non virtus statuam mereatur equestrem?
Censorem fertur sic respondisse severum:
Malo ego jam populus dicat, cur nulla Catoni
Sculpta est effigies? quam mirans dixerit: illi
Cur statuam posuere? hæc quo res pertinet? illuc
Corrumpi vanis rerum furere esse putandum.
Vir bonus, ac sapiens fieri volet utilis Urbi,
Si pateat vappæ contemnet fortis honorem,
Versabitque suo bove rura, ut Quintius olim.
  Ast Urbes vere peccant vitiisque potentum, aut
Moribus externis: corrupta est Italia omnis,
Cum illam barbarici potuere invadere mores.
Nam bene lænonis partes qui agat, aut parasiti,
Virtutisque queat nervos elidere, magno
Quæritur, & multo donandus munere Spado,
Enervi qui gestu & fractâ voce Catonem
Dum male magnanimum simulat, Brutosque cruentos,
Improba adulteria, & turpes instillat amores.
Sæpe & Legatis multi laudi fore rentur,

Di-

Divitibus tantum dapibus mulcere palatum,
Si laus hæc illis, eadem cauponibus, atque
Laus eademque coquis; caupones mittere, an illos
Quid refert? orator idem si caupoque præstet?
Si posses Regi nummis armare cohortem,
Ignores quamvis belli penitus rationem,
Omnes militiæ facili superabis honores
Ascensu, & fies quantocyus Induperator.
Vis agere imperii partes? vis consulere Urbi?
Sis bene nummatus, captes matronæ, & amorem:
Vel Quæstor, vel Prætor eris, sis vappa, quid obstat?

SERMO V.

ERgo erit una tibi Lalage, Rufine, furoris
Causa ut contemnas omnes hanc præter amicos!
Uni illi vivens nullumque invisere cures?
Nunquid amicitiam sic reris nomen inane?
Ut pluris facienda tibi sit candida cervix,
Quam sincera fides, quam commoda dulcis amici
Qui ægrotanti animo medicinam comparet, & qui
Corpore te jubeat, jubeat te mente valere.
Sed neque te Lalage solatur, non beat, immo
Quam fingis demens fidam fortasse futuram,
Elusit te huc usque, eludet callida semper.
Scilicet ingenium hoc illis, hi denique mores.
Grandia nos agimus, nobis expromere fœtus
Musarum natura dedit, nos condere jura,
Et patriam arreptis tutari possumus armis.
Quidnam illæ? nisi id unum impune ut fallere possint
Quos semel ipsarum tenuit sollertia vinctos?
Communi sensu careat Rufine necesse est
Romanis qui se fæmellis mancipet: hisne est

 Ulla

Ulla adhibenda fides? consuetudo mala, matris,
Et præcepta patris, Cœlumque, & Tybris, & ipsum
Hoc solum, ad omnē has nequitiam vitæ educat: auro
Auro inhiant, præ auro divina humanaque spernunt.
I nunc & lacrymis contende insanus amaris
Te Lalage ut ficto compilet callida amore
Et morbi semper caussas alimentaque quæras:
Postque tibi ut penitus patriam abligurierit rem
Te male depexum ridendum tradat ubique.
Eja age rumpe moras, extirpes semina morbi
O bone, vivescit, video, furor improbus intus,
Utere tu virtute tua: tibi Dì bona, mentem,
Dique mares dederunt animos: sed pernegat uti
His Lalage: anne domi paries ardebit, eo quod
Te vultu aspexit torvo noctemque negavit?
Desipere ac falli miserum est: quid? particulam auræ
Divinæ jubeas falsæ servire puellæ,
Turpiter ejectam, & muliebria jura timentem?
Excute colla jugo: liber sum, dic age, leges
Ipse mihi indicam: male si mentita puella est:
Hoc ipsum poterit mentiri ferre salutem.
Quem bona mens semper, ratio quem sola gubernat,
Rex erit, & quidquid vult. Rectores populorum
Ecquid habent pulcri? præter quam jura popello
Tradere? Tu prudens ratio quid postulet audi:
Majori servire malum, servire minori
Turpius at, sibimet parere est maxima laudum.
Non unquam Veneris telis latus obdet apertum,
Nec latrare animum contra se se feret unquam
Vir bonus ac sapiens: id erit servire sibi uni.
Tene latere malum poterit, quod concipis imo
Pectore? quid? frustra haud serpit peccantis in ipsum
Os pudor insuetus: natura hac perdocet arte
Gliscere paullatim male cauto in pectore tabem:
Cui

Cui ni festines occurrere tempori, iniquus
Tute tibi, laterem tu post Rufine lavabis.
Splendida ad hæc verum subridens forte repones:
Jura dedit tibi, forsan nequior: inde quid infers?
Esse an te stultum jus est quia desipit alter?
At mihi consului tandem mentemque recepi.
Consule tute etiam, diras abrumpe catenas.
Difficile est morbi cunctas evellere caussas
Corpore, sic animi penitus divellere curas
Non cuivis datum erit nisi forti; tu tamen aude
Teque tui dominum e populo secerne: vide, an sint
Hæc majora, quibus tu divexaris, an illa
Oblectare quibus: sequere hæc, fuge sedulus illa.
Quid tu commendas Epicuri dogmata? queis tu
Nunc uti nescis, frustraque tibi sapiens es?
Vester Aristippus, vitio cum verteret illi
Quidam, quòd pravo flagrasset Laidos igne:
Illam habeo dixit, teneor non captus ab illa.
Sic tu si Lalage nequeas caruisse protervâ:
Serviat illa tibi: Tu liber vive, valeque.

JANI-BENEDICTI BARBÆ
SERMONUM
LIBER SECUNDUS.

SERMO I.

Cur adeo triſtis ? tua cur facundia quondam
Sat laudata viris, Cynaræ ſat grata rapaci
Ceſſit ? & ignavæ calcas veſtigia plebis,
Ingenio, Atratine, & ſanguine clarus Avito ?
Barba inſecta, comæ impexæ, gravis omnibus, atque
Funeſtus tibimet vadis, nitidiſſimus ipſe
Qui fueras olim, Venerisque nepotulus : illi
Quo cantus abiere tui, Venereſque jocique ?
Præcipites nempe ejecit tibi multa minatus
Creditor, in jus te toties heu qui rapit audax,
Et certus tabulis uſque iracundus ad aſſem
Flagitat : inſignem titulis, & imaginibus quid
Quid juvat eſſe, furens ſi ruſticus urgeat, & ſi
Terreat, & ſupplex blandiri cogeris illi ?
Ab Jove progeniem repetas, ſit curta ſupellex,
Contemnere miſer : fumoſâ ab imagine tantum,
Et ſine re nemo eſt aliquid. Majoribus ortum
Aſpice nunc Mænam nullis, ut turgidus auro
Incedit ! quot eum noti ; ignotique ſalutant !
Primorum ad cænas ad prandia cuncta vocatur.
Quæcunque effutit, palpari & plaudere Mænæ
Quiſque e Patriciis, quod multis credidit aurum.

Quis? tu nobilior, tuus an dic creditor? æquo
Judicio rem perpendas, si veraque dicam
Dede manus: quem jure times, quem pallidus oras,
Qui pote te vinctum te multa audire rogantem,
Arbitrioque suo plectat, tibi parcat, & idem
Indicat leges, qui te genibusque minorem
Dicentem exaudit, summo non utere jure,
Nam modo dem prædem: quis nunc generosior? an qui.
Imperat objurgat, an qui tremit oila pavore?
Tu cui præde opus est, an qui te forte vadatur?
Cur populo imperitant Reges? quia sæpe coercent.
Rex an nobilior populus? Rex imperat inquis,
Ergo nobilior: tibi quis nunc creditor, an tu
Imperitas? servum vere facit improba egestas.
Ipse asinus sortis melioris, & æquior illi
Juppiter est multo: quæcunque imponis asello,
Semita ut exacta est, tunc pondere libera dorsa
Bellua per siccas oblita volutat arenas.
Non ita cui dorso super imminet æs alienum;
Excubat ante furens oculos, quodcunque geras, seu
Dormitum pergis, seu mensæ acedis, adurget.
Esse salutatum jubeat si creditor, eheu
Tunc caput, & renes morbo tentantur acuto.
Non Venus atquæ epulæ, non cantus te tibi placant.
I genus, & formam, majorum jacta, & honores.
Expers consilii, sis sanguine clarus avito,
Frumentique habeas quantum metit Africa, oportet
Mole ruas propriâ: genere, & quot divitis auri
Pondere felices fuerunt, rerumque potentes
Nunc versant viles aliena ligonibus arva.
Res parit aucta genus, genus ocia nutrit & auget,
Ocia luxuriem, patrimonia avita vorantem.
Alea, lenones, mimæ, scorta, uncta popina,
Servi Gnatones, multo rem non sine partam

Su-

Sudore oblimant, sic sensim turpis egestas
Consequitur: mox pauperies audacior addit
Insano mentem; sequitur tum industria, avaros
Divitiarum auctores hæc facit, at novus hæres,
Ignorans quanto bona sint quæsita labore,
Majores censu sumptus facit: ecce iterum adstat
Paupertas audax, iterumque retexitur orbis.
Ni finem, Atratine, cupidinibus statuas jam,
Plebs eris: id vitare cupis? potes: utere parvo.
  Antinous, fundus maternâ non ita parvus
Cui morte obvenit, poterat sat dives & esse
Sat felix, animo si scisset stare, at egentem
Divitiæ fecere novæ, fundoque domoque, &
Re penitus patria insanum ejecere Nepotem.
Quid refert fures, an te tute expolies? fur
Ne te compilet magnis tute ostia claudis
Cardinibus, noctu vigilant duo tresve molossi
Ad limen, pariesque tibi prompta arma ministrat.
Ne mala compilent tua te vitia, ecquid agis? quem
Consulis? & virtus quænam tibi tela ministrat?
Antinous, sibi servus, sexcentos sibi fures
Addidit, ingluviem, venerem, luxum, ambitionem.
At, moneo, servos jam tu, minuasque caballos,
Convivis ne utare frequentibus, & locus umbris
Desit: non certe faciam ne fabula fiam.
Interea sensim res labitur, & malus error
Cæcum agit in sumtus, argentum deficit, acrem
Occupat ille hominem, quem fænus & alea ditat.
Non prece sed quina motus mercede Cicuta
Tradidit huic aurum, superaddens mille catenas.
Immemor interea Hic tristes properare calendas,
Solvere queis collo obtorto cogatur avaro,
More suo græcatur. Avarior una Cicutâ
Lesbia, jam quanti noctem vis ducere mecum?

An-

Antinous tanti: nugas garris: tibi eundum eſt,
Putrida ubi degunt ſcortilla ad triſte lupanar.
Ardet amans Nebulo:quid plura?huic decupla merces
Conceſſa, & plures precio mercatur eodem
Noctes: ſolvendi ſed enim jam dira Cicutæ
Tempora ſubrepunt: quid agat? vendatur oportet
Fundus: vendatur potius, ne in jura ſceleſtus
Me invitum rapiat. Dj vos deperdite avaros
Dedecori humano natos exclamat, at illas
Inſanas voces non audit Juppiter, atque
Antinous fundo depellitur, ipſe Cicuta
Fit fundi dominus: ſed quo ſe vertat egenus,
Iratus fruſtra Dis, atque iratus avaris?
I Puer, ad cœnamque voces Janum Lepidumque:
Si prope nudavit me furcifer ille Cicuta,
Ejectum fundo dulces ſolentur amici.
I dicto citius, veniat fac Lesbia, ut atras
Ejiciat curas: veniunt meretricula, amici:
Cœnatur bene, dormitur bene: pectoris atræ
Non tamen aufugiunt curæ, ſed valdius inſtat
Pauperies nimium Veneri gravis, horrida Amori,
Spreta ab amicis, a cunctis deriſa puellis.
Decoxit tandem, nihil eſt obſcurius illo,
Ipſa genus, patriamque oblitaque Lesbia nomen.
Prodigus a ſtulto non multum diſtat avaro,
Namque eſt hoſtis uterque ſibi, ſe fallit uterque.

SERMO II.

Ergo omnes verſu geſtis tu lædere? amici
Seu tibi ſint, ſeu non, parces tibi ſolus amicus?
Ridetur Barrus, quòd in augendâ miſer eſt re.
Quod nimium ſalſus culpatur & Albinovanus.

An-

Antinous quod egct multo obrutus ære alieno
Fabula. Sæpe movet risus tibi, quod Damasippus,
Rudera defodiens stupet ære, & marmore prisco.
Clodius insigni quod vult splendescere ab ostro
Ridendum historico tyrrhenum trans mare tradis.
Carminibus satyras præstare putamus eo, quod
Indecores hominum valeant reprehendere mores
Fortius ac melius: si quis fur sit, vel adulter
Est jus judiciumque: hos non Lucilius alter
Lividus, ac mordax cum libertate notabo.
Verum queis quisque obruitur peccata minora.
Si quis forte strabo, cocles, vel sit pede curto:
Ridiculum est prorsus reprehendere: nam sine culpa
Est hominis vitium, sanareque nulla potest ars.
Si quis passus erit fures, incendia, at insons:
Turpe est hunc versu mordere: at si quis apertis
Dormiat aut foribus, nec recte pessulum & obdet,
(Ut mos & nobis fuerat nostroque sodali)
Quid si hunc compilent servi? quis caussa nisi ipse?
Hunc operę pretium est versu describere Flacci,
Hic est materies scenæ & sermonibus apta.
Aspice quot libros sæclorum protulit ordo,
Perfectum invenies nullum, nævisque carentem
Etsi socraticas evolvere Pythagoræque
Incipias chartas, & quæ Neutonus ab ore
Veridico effudit Naturæ maximus ille
Interpres, quo jure superbit ab Orbe Britannus,
Semotus toto. Magnus peccavit Homerus,
Peccavitque Maro, Lucretius, & bonus ipsę
Flaccus: cujus erat mos, in versu faciendo,
Sæpe caput scabere, & vivos mordere sibi ungues.
Horum Tu chartis plures irrepere mendas
Si videas, quas longa dies, nec multa litura,
Nec summum ingenium vitat, vitæ in ratione, in

Om-

Omnibus officiis, quis erit tam factus ad unguem?
Sermoni ut non det causam, scænæque jocosæ?
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit, alter amore
Alter avaritiâ jecur ulcerat: ille caballis
Grandibus insanit; librorum hic copiâ iniquæ
Mentis, nec patriæ gnarus linguæ. Est etiam qui
Confectus senio mimam conducat, ut albos
Sæpe pilos vellat, scalpatque huic blandula palmam
Appelletque jocans pusum ac pusillum. Igitur quis
Judice te sapiens? uno excepto Jove, nemo.
Quid Tu? parne Jovi nullis urgebere? erisque
Nulli ridendus? comædia nulla loquetur,
Aut de te sermo? fateor partem mihi dandam
Ellebori multam: facilis descendere ad iras,
Aut in mæstitiem nimiam, aut deliria gaudî.
Cereus in vitium flecti: si peccet amicus,
Pecco & ego: si quis dum decidit imber, eundum
Est illuc dicat, quo me nunc magna vocat res,
Oro, fac venias, pro curru dulcis amicus:
Illi sum præsto, Cœlum vel si ruat ipsum.
Cum Balbo ægroto, sibi qui omni ægrotat in horâ.
Sint jlli quamvis invicti membra Gliconis,
Si rogites: Balbi, quid agis? rectene vales? quid
Ah quid ego valeam infelix! en dira chiragra
Ut male nos habet! haud ventri bene, nec capiti. etsi
Non bene sit ventri; rhombis tamen helluo, mullis,
Agrippæque forum gallinis pauperat æger,
Et venetam græcoque mero, tuscoque tabernam.
Quid si esset sanus! quæ non gula tanta voraret?
Cum bene cænavit, potavit & ebrius ille
Surrexit mensâ, jam perdant Dique Deæque
Te, Puer, hinc patinas poteras auferre, necaret
Ne me aper ac mullus misere: cur allia in illo?
Cur piper immiscet nobis cocus improbus? his heu

Car-

Carnifices, vultis dominum periisse cicutis?
Si puer aufferret: quo fers hæc pessime? nonne
Ampla satis merces? gula ni tua devoret isthæc?
Aut meretrix assueta meo tibi vivere sumtu?
Apponas iterum mensæ hæc: ingurgitat, atque,
Ni egrotet, saltem vult ægrotare videri.
Doctrina, & genus, ingenium, nummique, quid æternū
Huic ægrotanti prosunt? si quis mihi dicat:
Omne pecus tibi habe, quod pascit Apulia & una
Has diras habeas curas: pecus omne recuso,
Ne vivam miser, atque omni periturus in hora.
Num tu sanus eris? pedibus qui claudere verba
Vis, ubi non assis faciunt tua carmina si te
Gloria titillet tenebrosa volumina Lucæ,
Et quidquid proavis ructavit Bartolus olim
Addiscas cupide: quamvis Hortensius ista
Despiciat lepidus, propria sub pelle quiescet.
Quottidie ipse natas: versus nunc ponere juras,
Post horam, aut elegis iterum delirat acumen,
Aut sermone aliquo. sperasti num sale Flacci
Oblectare Aures Nerii? nervis sine, & arte
Pertæsum est illum vates audire trecentos.
Hoc ut ego exegi carmen, si scribere rursus
Versiculum tentem, stygias detrudar ad umbras,
Seria Prætorum curem pervolvere scripta;
Magnum adeam Fortem, juris, legumque peritum
Nunquid Thersites potis instillare cerebro
Seria? quidquid hyat qui vult contraria secum
Frontibus adversis componere vanus & excors?
Aut aliena sales, cui dat persæpe Lagena
Pantolabus? cænaret olus nunquam ille meum, nam
Cum ventū ex ovo ad mala, improbus omnia spernit.
An te jam sapere edoceat qui sese amat unum
Fabricius? patriam qui si defendere ab hoste,

De-

Debeat emissâ voce, ut Junonius anser,
Non unquam clamet, fortes accurrite cives,
Ne sibi pulmonem lædat vir tam sibi carus;
Aut qui rimarum Demetrius undique plenus
Vult sua vult aliena palam peccata peccata profari?
An sapere illa cohors doceat noctuque diuque
Quæ male delirans in ligno militat? unum
Est quibus ingenium, gemino Reginam Elephante
Signifero, vel buxeum equis invadere Regem?
Queis si forte neges decertandi bene laudem
Quadratæ in tabulæ, aut nigrâ statione, vel alba,
Non pugnis immunis abibis, vel maledictis.
Vis sapere? exemplar vitæ tibi sume imitandum
Maximum Agatoclem, magnis placuisse Tetrarchis
Hoc duce tu poteris propiusque accedere ad aulam.
Nunc Labeo, & nunc sis Capito, nunc sis Cytharedus:
Nunc sis Cantator: statuâ taciturnior, & nunc
Adstes, nunc oculi spectent te mille loquentem.
Nunc in Crysippi jures præcepta: Epicuri
Nunc ad Sydera tolle hortos: sic magnus eris Tu
Alter Agatocles: hujus sine consilio nil
Fit: nunc Italiæ, & Gallorum rebus opinor
Consulit: hæ cordi Gentes, nam gallica verba
Italicis persæpe solet miscere facetus.

SERMO IX.

GRata meum salvere jube, gaudere Thalia
Optimum Alexandrum, quo non sapientior alter
Est in amicorum numero: quid forte negotj
Si capiat, & circa saliat latus, abstine, & anno
Incipiente novo, postquam omnia fausta precata es
Ne importuna illi videare, revertere furtim,

Neu

Neu ſis tu gravis, illa Viæ ceu fabula Sacræ.
Sunt plerique mali culices, ranæque paluſtres,
Nullius ingenii, nullius moris, & artis,
Nati hominum generi tantum mala tædia ferre,
Arrident ſibimet, alios ſudareque ad imos
Uſque jubent talos, & credunt ſe eſſe facetos.
Adſunt mane, adſunt veſpertini, ut doceant te,
Romanum meretrice nova ſi forte lupanar
Donarint Senæ, vel ſi male ceſſerit ulli.
Si pluit, aut ningit ſermo eſt, ſi turgidus undis
Ad mare Tybris eat; hæc effutire moleſti,
Nec te conficere abſiſtunt: ais: eſt quod agam, nam
Conſtitui cum Pantolabo, qui cognitor, ut ſcis
Eſt meus: abſcedas modo: nil agis uſque tenent te,
Et percontantur; quid ais de pace? futuram
Num firmam reris? Liguri Germania reddetne
Argentum? & miſere mactant te ſæpe rogando.
Ibam ſolus heri, meditabar carmina ſolus:
Occurrit mihi cauſidicus: quid agis, bone vates?
Irridens: nulli jugulo patrimonia, verſus
Innocuus facio: num aliud me vis? tamen ille
Me arripiens non vult diſcedere: Juppiter omnes
Inſanire jubet vos vates: ſi mihi regnum
Fors dederit, vellem depulſos Urbe poetas,
Si mihi fors dederit rabulas vos in cruce corvos
Paſcere, qui damno alterius nituiſtis inique.
Recte, neſcio quis: videas medicos ubi plures,
Ægrotare putes multos: videas ubi plures
Eſſe tui ſimiles, ibi ſunt incommoda mille.
Cauſidius furit, objurgat me voce Cyclopi
Et digito iratus monſtrans me: fœnum habet iſte,
In cornu ajebat: perdant hunc Dique Deæque.
I nunc & verſus tecum meditare canoros.
Sunt & perbelle ſibi qui cantare videntur,

Quaque minus pollent obtundunt arte: Cratino
Non ullus cantator ineptior: unus ab ovo
Insignem usque ad mala Scitalcem imitarier audet,
Flebilibusque modis Arbacem mœsta canentem.
Accipe quo pacto prudens mihi nota puella
Huic similem quendam potuit vitare: (taceri
Vult eadem;) illa Sophis, atque illa imitanda poetis,
Liberaque argento anteferentibus ocia, & auro,
In foribus scripsit: *Vappa hinc procul omnis abesto.*
Tu cave te hoc vitio dicant peccare Thalia,
Et nulli recites nostrum, tradasve poema
Ni bis terve rogent, ni sis bis terve coacta.
Vilescunt merces emtori oblatæ: in honore
Sunt magis, & pluris vendes quas vendere nolle
Te simules: jactare foro mea carmina noli,
Ne studio nostri pecces, te & compita lædant.
Esse pudica velis, quin & prius inspice mores,
Quam dones, vendasque librum, non si obsecret, ullus
Auferat hunc nebulo, ne aut dente petaris acuto,
Fabula vel fias, quod pejus: ridiculum acri
Fortius: indocto mage nam quis judice latrat?
Cordatos adeas, certe namque hi tibi parcent.
Si meum Alexandrum teneat sitis ista legendi,
Illi, post Nerium, librum donare memento;
Tum qnisquis nostri fuerit studiosus habeto.
At mordere velit si quis, precor occule librum,
Aut sua fac etiam recitet tibi carmina, possis
Ut tu etiam ridere; at qui te corriget æquus
Hic tu vel geminos habeat gratis face libros.
Vade salutatum Aspasiam quæ sæpius una
Instillare mihi potuit virtutis amorem,
Cui mea præcipue placuisse poemata vellem.
Si quis te patriam, si percontabitur ævum,
Non Gallum, non Germanum, non me esse Britannum,
Lu-

Lusitanum, Arabumve, sed Italia refer ortum
Parthenope in media, Naturæ delicio Urbe;
Nondum & ter denos dic me implevisse decembres.

SERMO IV.

MAgne Neri, ignavis mos est plerumque poetis?
Ut persæpe velint naso suspendere adunco
Si quis erit cui Musa benignior, invidi & acres.
Et quoniam nemo summo ingenio sine & arte
Hoc mereat nomen, fama evertenda quibus Dj
Concessere aliquid magni: vetat esse poetam
Ingenium mediocre, tamen vult scribere quisque,
Mordere aut saltem: simulac nos Fannius audit
Ridet, & immitis sale nigro defricat Urbem.
Ut libet hi foliis sese majoribus ornent,
Seque putent solos manare poetica mella:
At si quid nostri tentare, & scribere malint,
In nemore aut canere undisono, præbente benignam
Versiculis aurem Nerio, sibi lædere nolint
Pulmonem risu nimium, nimiumque faceti.
Germanas gerras ajunt blaterare Typhæum,
Non id ego fatear? sed parcat Fannius illi,
Namque illi ingenio prorsus musaque gemellus.
Quæcunque effutit, sese veneratur uterque:
Cum recitat risu populum quatit alter, & alter.
Stultitia natura pares quos protulit, acri
Cur morsu lacerant cur se se dente venenant?
Si duo vel quatuor nos inter Pitholeontes,
Nonne illos inter cimex Pantilius? illis
Nonne etiam hibernas canâ nive conspuit Alpes
Furius? ignoscant si quid peccavimus & nos
Hi jactent sua perpetuo mirentur amentque:

At nos socraticos mores animumque sequentes,
Omnia nos nescire,unumque hoc scire fatemur.
Difficile ingenium metiri non secus, atque
Judicium cohibere: id ait crasse illepideque
Compositum, dure nimis hoc, & Fannius illud
Serpere humi carmen vult, & grave virus
Spargit ubique malus,nec eorum intelligit unquam
Quidquam quæ mordet: nemo est qui viribus impar,
Non id ego statuam dicat, non me esse puto, quo
Judice, jam Nerii possint descendere in aures
Carmina: quisque elegos, sermones quilibet audet
Scribereque & recitare sonantia carmina, quæ si
Subjicias oculis, quivis stomacabitur: aures
Decipiunt animumque sono gestuque decore
Cum recitas: ubi scripta legas sunt omnia plena
Ruris: ni summus sit vates verget ad imum.
Cui non ingenium divinius omne poema
Deserat, & caussas juvet hunc blaterare forenses:
Ingenium cui sit divinius addat & artem
Quæsitam studiis. Vatum volvatur Homerus
Fons, quo nil ortum melius simile aut pote oriri.
Ille Deos opere in magno dum mille loquentes
Inducit, partes assignat mille decenter.
Non ulli simile ingenium, dat cuilibet aptum
Officium, dat magna loqui, diversaque. Noster
Non ita Virgilius, quamquam scripsisse poema
Nemo Latinorum melius potuit, tamen illo angustior, & variis veluti cornicula plumis
Denudat volucres, quod nemo objectat Homero.
Socroticas etiam chartas pervolvite Vates,
Et qui præcipue sermones scribitis; omnes
Musarum Veneres complectitur ille leporesque.
Hoc potuit Flaccus sermonibus addere lucem
Doctore, & morum varias dignoscere causas,

Acri

Acri, & judicio falſo ſecernere verum.
Seu Romæ fuerat, tepido ſeu villula tecto
Tibure cepiſſet: fuerat Plato ſarcina Flacco.
Calleat hiſtorias vates, vetereſque novaſque
Doctrinas rerum ſciat, & nova fingere poſſit,
Naturamque hominum catus introſpexerit, atque
Noverit apprime ſpecioſa vocabula rerum:
Sermones merito meritoque hic carmina panget.

Hæc quoties agito vulcano tradere vellem
Repentes per humum verſus ego, ni tibi librum
Jam promiſiſſem: facerem ne dicerer unus
Illorum e grege, qui recitant audacius, atque
Quo magis indocti rident alios magis acres.
Pictorem ſi forte malum rogites, quis eorum
Excellat magis, extemplo ſeſe offeret Acron,
Pingetque Europam tauro trans æquora vectam
Quam ſimulac cernes Tuque, & tuus optimus ille
Luccius, auferri jubeas, doneſve coquinæ.
Natio ſic vatum, pejor, melioribus hoſtis,
Et ſexcenta minatur carmina ſtans pede in uno.
Ut noſti, geminos Auguſti protulit ætas
Aurea Muſarum Comites, quorum alter Homero
Virgilius Latii voluit certare Camænis.
Alter inacceſſis e fontibus hauſerat audax,
Quidquid pindarici potuerunt ebibere hauſtus.
Gallus erat, Variuſque tenerque Tibullus, & ipſe
Audacem Naſo Urbe ejectus propter amorem.
Fœdere amicitiæ juncti pariterque fuerunt
Et ſocii, alteriuſque alter laudator, & ultor.
Quis Mæcenati Flaccum commendat amicum
Ni Maro? dimidiumque animę quis Virgilium ni
Appellet Flaccus? proficiſcenti quis Athenas
Et fauſtos ventos fluctuſque precatur amico?
Mævius ac Bavius, quorum nec divite vena

Carmen, at ingenium incultum rude, turpiter hirtum
Dente theonino Flaccum ipsum Virgiliumque
Rodebant, digni clitellas ferre nec illis.
Si quis erit Romæ Bavius vel Mævius, opto
Ut quæ conscripsi æternùm mea carmina rodant:
Quoque magis rodent rabido mea carmina dente,
Ad Flacci hoc potius sperarim accedere laudem
Nil horum venor suffragia: Sraius ista
Si laudet, sat erit, Lucretj æquare Camænas
Cartesique sui doctrinam tradere versu
Qui potuit mire: magno cui carmina mitto
Si placeant NERIO sat erit: Mævis Baviisque
Quid refert placuisse unquam? quibus omnia salsis
Sunt nugæ, venetâ dum pocula nocte taberna
Sorbillant vacui, didicerunt id sapere unum.
His hoc si demas aspergere, vendat ahæna
Vascula & urceolos bellariaque omnia Marcus,
Concedent aliò scurræ, tu Marce dolebis.

CA-

CASTRUCCI BONAMICI
AD CAJETANUM FORTEM
PATRICIUM PISCIENSEM
DE AMICITIA.

SERMO.

QUî fieri dicam, Fortes, ut cum ſibi quiſque
Jungere amet dulces, junctos retinereque amicos,
Parvi adeo curent vitatu, quodque petitu
Eſt in amicitià melius? res ardua nempe
Si qua alia, & mentis bene ſanæ: rarus eò fit,
Ut ſit ad extremum vitæ qui portet amici
Diſſidio intactum nomen, triſtive querela.
Vir bonus & cautus dignos aſſumere, ſi quem
Eſſe in amicorum numero velit, ante probabit
Ingenium & móres, deceptum poſtmodo, ne ſe
Et miſerum vocet, aut clamet vocalior ipſo
Stentore, amicitiam periiſſe, fidemque, & ineptus
Ut Barrus veſtes, ita amicos mutet in horas,
Tam cito deſiſtens temere quam cepit amare.
Mollis Agatocles non inconcinnus amicis,
Si vultum ſpectes & verba videbitur: eſt ne
Quod me forte velis, rerum dulciſſime? profer,
Dic ſodes, nâque hercle amo te, & cupio omnia quę vis;
Pleraque de genere hoc arridens comiter, addit.
Interius ſed paulo Urbanum hunc excute, verba
Invenies nil præter verba, & inania quædam,
Queis capiat vacuo hærentes in cortice ſtultos.
At non te; Fortes, non acri judicio qui-

Cunque tui similis, prout est expendere rem vult.
Quid? bene qui faciens prava ratione modoque
Corrumpit benefacta? aut cum cunctator amicum
Excruciat miserâ pro paupertate rogantem:
Aut cum aliis narrat vanus, vel denique cum, si
Quid forte inciderit turbarum, objectat iniquus,
Ingratique hominem vitii subito arguit, hic ne
Dulcia amicitiæ novit præcepta? negabis.
Sæpe inter cœnam, ut fit, vino & caldior ipso
Rixandi studio, compellat amicus amicum
Bardum: mene pati hoc? regerens convicia, clamat
Alter: continuo strepitus, discordia bellum,
Inter quale fuit Pelopejum Agamemnona, & inter
Indomitum Pelidem; sed peccavit uter nam
Horum in amicitiâ, quæris? peccavit uterque.
Quippe adversari nimium pugnaciter, atque
Salsum quam dictum, jucundum amittere amicum
Malle, importuni est hominis, planeque carentis
Communi sensu. Verum neque convenit, unum
Ob verbum paullo inclementius ilicet omnem ab-
Rumpere amicitiam, & sævas descendere ad iras.
Contra alius, nimium insuavis ne habeatur & asper,
Pronus in obsequium laudabit carmina, quæ vix
Noster Acarporum grex evomat. Haud ego cum te
Difficilem esse veto ac truculentum, vilem imitari
Gnatonem jubeo. Medium est, quod quærimus. An si
Admonitu leni meliorem reddere amicum
Possis, non facias? Nihilo qui plus sapit alter
Ecce tibi. Hic veniam erratis quia nos dare certis
Æquum est, propterea censet sibi cuncta licere,
Illa etiam prudens queis nunquam ignoscet amicus,
Quique sibi caveat. Si dixero liberius quid,
(Ut multa inter nos pransi ebullimus inepte,
Non referenda palam coramve quibus libet,) id tu
Nar-

Narrator festivus scilicet ut videare,
In veneti incipies spissâ jactare taberna,
Addas deque tuo: atque infesto hoc crimine turpis
Dignus amicitia sis? tam Hercule quam levis ille
Nunquam pollicitis qui stat promissor inanis,
Et toties mendax: de re magnâ atque nova cras
Ad Marci te conveniam: heus bone, sis memor oro:
Et memini, & veniam. Venies tu credulus. Ille
Nusquam: vel nugis, scorto vel forte retentus.
Quid tu homini facies qui sic indormit amici
Officiis? jubeas sine amicis vivere, semper
Quatenus id facit, & consulto errare videtur.
Nam ut paullũ, imprudensque, nihil moror. Haud ego
Crysippi juravi in ferrea verba, jubentis (Patris
Culpas esse pares, sapientem offendere nusquam.
Trans Tyberim longe quia sum nempe ire gravatus
Ad condictum Erytræi epulum, minus aptus eò sim
Aut jucundus amicus? verum non coquus unus
Et fartor magno conductus, lautaque circum
Omnia, & argenti vis undique maxima, nec deest
Plurima ab Agrippæ volucris laudata columnis,
Quique peregrino piscis jure innatet, adde
Gallica vina, Hispana, & Cretica quæque nec ipse
Nauseet Ermondus prudens conviva potentum,
Quid tum? num me aliquem censes quẽ ducat hiantem
Pinguior escarum nidor scurram? mihi dum adsit
Qui cum exlex potem, ludamque libenter amicus
Cæna brevis placet, & vilis, modo munda suppellex.
Ut minimis igitur nequit immutari, ita nescit
Quæ bona amicitia est hærens radicibus altis
Corrumpi vanis rerum, scænaque moveri.
Olim fertur equos inter numeratus asellus
Majores sumsisse animos & forte superbus
Mutatâ, auritum vix respexisse popellum

Tunc aliis faſtum inſuetum mirantibus, unus
De grege qui fuerat paullo ſapientior: I nunc
Et te ſolus ames, ſi nos vileſcimus, inquit,
Non acceptus equis, non ipſis carus aſellis.
Si quis fortunæ properanti turbine in altum
Ex humili abreptus veteres ſtomachatur amicos,
Inviſus cunctis, ſtultuſque videbitur; illum
Corte ego amicorum numero ſecerno. Quis ergo
Ne longum facias, quis ad unguem factus amicus?
Cui ſuave ingenium & generoſum pectus, honeſto
Incoctum, cui priſca fides, qui purus ab omni
Fraude amet, & vere qui conſilietur, & ultro
Cum poſſit juvet: idem cum fortuna benigno
Rideat aſpectu, & cum torva minabitur idem.
Qui facilis, prudens, humanus commodus, & ſit
Ad ſummam, qualis tu, Fortes optime, mentis
Exemplar ſanæ perfecti exemplar amici.

APPROBATIO.

UT Rmo Patri Magiſtro Sacri Palatii obtemperarem, hos J. B. Barbæ Sermones, qua par erat diligentia perlegi, atque in illis nil offendi, quod Religioni noſtræ, boniſque moribus adverſaretur, ſed illos reperi eo lepore, atque elegantia conſperſos, quibus cætera ejuſdem eruditi auctoris carmina conſperſa ſunt. Ita teſtor.

Romæ Prid. Kal. Aug. 1749.

Johannes Bottarius.

Ap-

APPROBATIO.

DOctissima Quirinorum Academia mandante, legi quamlibentissime Libros Elegiarum, & Sermonum ab eruditissimo Viro Johanne Benedicto Barba conscriptos: e purissimis enim latini Sermonis & elegantiarum omnium fontibus veterum Auctorum monumentis hausta esse quamplurima comperi; atque ejusmodi sane esse omnia, ut ejus ingenium, eruditionem, studium toti jamdudum Academiæ satis perspectum, probatumque omnino deceat.

In quorum fidem &c.

Benedictus Stay Quirinus.

AP-

APPROBATIO.

QUòd universo Quirinorum Cætui Libros Elegiarum, atque Sermonum a Joanne Benedicto Barba conscriptos dignos esse, qui academico Stemmate publicam in lucem edantur Benedictus Stay Quirinus noster retulerit, ejusmodi illi facultatem permitti posse universi Academici censuere hac die 3. Non. Augusti 1749.

Joannes Petrus Marchio Lucatelli Ædilis.

Im-

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F.M.de Rubeis Arch.Tarſi Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Jo: Auguſtinus Orſi Ord. Prædicatorum S. Pal. Apoſt. Magiſter.